






JESUITA PHARISAIZANS,

SEU

Collatio Pharisaismi & Jesuitismi; in Gymnasio SPIRENSI publicè, die Natali MARTINI LUTHERI, instituta.

Item,

APOLOGIA PRO B. LUTHERO, CONTRA RABIDOS LATRATUS CUJUSDAM

Lojolitæ Spirensis, Apostatæ.

Auctore


JOHANNE HIMMELIO POMERANO, Gymnasij Spirensis Rectore & Professore.

FRANCISCI SFORTIÆ Symbolum:

Nemo Quietum impunè lacescet.



Spiræ, apud Heliam Kembachium. 1614.



VIRIS
Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis & Consultiss.

Dn. Georgio Reich.
Dn. Reicharto Diethart.
Dn. Henrico à Zehmen.
Dn. Friderico à VVölvvart.
Dn. Alexandro VVeidenkopff.
Dn. Vlrico Stieber.
Dn. Lotho à VVeisbach.
Dn. Georgio Euchario Helfrich dicto Mosbach.
Dn. Johanni Georgio Meyfisch.

Imperialis Cameræ Assessoribus longè dignissimis, Dominis ac Mecœnatibus meis Magnis.

Salutem & Religionis Constantiam P.

PRæclara est D. Basilii Orat. de Invid. & odio, Sententia: *Ad Calumnias conticescere non oportet, non ut contradicendo nos ipsos defendamus, sed ne mendacio progressum permittamus, circumventosq;*

ventosq́; damno affici patiamur. Præclarior D. Petri: *Parati semper estote* πρὸς ἀπολογίαν *omni poscenti rationem de ea, quæ in vobis est, Spe & Fide, 1. Pet. 3, 15.* Præclarissima ipsius Christi: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces, Matth. 7, 15.* Quis igitur jurè illorum reprehendet studium, qui Calumnias ac Maculas, quas Adversarii Religioni nostræ Orthodoxæ aspergunt, abstergunt; qui ἀντιλέγοντας arguunt, illisq́; os obstruunt; qui subintroductis falsis fratribus qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent, ne quidem ad horam cedunt, exemplo Pauli Galat. 2.

Ejusmodi Calumniatores, Fidei nostræ Exploratores, & Falsi Prophetæ sunt hoc nostro exulcerato seculo, Lojolitæ; & inter illos haud postremus, Meridianus ille in Dominica Declamator. Huic enim volupe est Religionem nostram, in Scriptis Prophetarum & Apostolorum fundatam, in comitiis Augustanis, Invictissimo Imperatori CAROLO V. oblatam, singulis in Concionibus miserè exagitare, lacerare, macerare; & cumprimis honestam B. Lutheri famam denigrare. Eam præterea sibi imaginatur convitiandi licentiam, ut putet, nostrûm nequaquam esse ipsi respondere vel obloqui; non aliter ac si velut alter Pythagoras, Nobis suis Discipulis dictaret Αὐτὸς ἔφα. Experimentum hujus rei habeo domesticum. Etenim cum antehac pro ratione officij & libertate Disputandi in omnibus Academicis & Gymnasiis recepta, Disputationem haberem hîc publicè primam, eiq́; Problemata quædam Theologica pro Luthero, non offensivè, sed defensivè subjungerem; tot Adversarius meus Conciones virulentissimas, in me strinxit, tot convitiorum plaustris me oneravit, ut vel patientissimo bilem movere po-

tuerit. Ego ſanè convitia Adverſarii nil curo, ſed ob iſta maximè gaudeo memor illius Chriſti: *Beati eſtis cum maledixerint vobis homines, & inſectati fuerint, & dixerint omne malum adverſus vos mentientes, propter me: Gaudete & exultate*, Matth. 5, 11. *Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domeſticos ejus?* Matth. 10, 25. *Hominibus ſi placerem, Deo diſplicerem*, Galat. 1, 10. Interim tamen cum non tam de mea perſona, quàm de Religione noſtra agatur, quæ primariò impetitur; ut & ſalus noſtræ juventutis, quam Adverſarii ſi non ad ſe allicere, tamen ad minimum in dubitationis gurgitem præcipitare ſatagunt: ideoq; ſepoſitis Perſonalibus, Realia aſſumſi, & hanc pro defenſione Religionis Lutheranæ Apologiam conſcripſi: ut enim nimium altercando, ita nimium tacendo veritas amittitur. Hoc meum inſtitutum uti à nullo (niſi admodum tepido) Religionis noſtræ Socio improbatum iri confido; ita variis Adverſariorum machinationibus impugnatum iri vix dubito. Contra horum inſultus & machinationes ut eo ſit tutior & quietior hæc Tractatio Theologica, eam Vobis Viri Magnifici, Nobiliſſimi, Excellentiſſimi dicare & conſecrare & volui & maximè debui; quippe qui tot Principum, tot Ordinum Auguſtanam Confeſſionem veram verè amplectentium nomine, in Camera Imperiali Aſſeſſores, & Orthodoxæ Lutheranæ Religionis acerrimi Aſſertores eſtis. Fœtum hunc meum tenellum gratioſè ſuſcipite, involucris veſtri favoris involvite, contra frigidos & rigidos Adverſariorum morſus defendite, fovete, Mihiq; favete, & diu Corpore & Animo VALETE. SPIRÆ ex Muſeo meo Anno CHRISTI M. DC. XIV. VI. Id. April.

Veſtram Magn. Nobil. & Excell.
devotè colens
Joh. Himmelius, Gymn. Spir. Rector.

RECTOR

GYMNASII SPIRENSIS HIMMELIUS, POMERANUS LECTORI S.



IRacundus Monachus, Aper Sylvestris est; *inquit Nilus Abbas in Orat.4.adverſ.vitia. Nilus hic ut Rector & Inſpector Monaſticus fuit, ita dubium non eſt, habuiſſe ipſum mores & vitia Monachorum ſibi perſpectiſſima. Et qui negat hoc Nili dictum veritatis vim ex auctoritate & uſu obtinuiſſe, is Monachum, Apoſtatam turpiſſimum, & Cathedralis Eccleſiæ Lupum aſſpiciat, & ſtatim cum Nilo exclamabit:* Iracundus Monachus, Aper Sylveſtris eſt. *Sic enim poſtquam flammas iracundiæ ſemel in me temerè concepit, furit, ut Sui ſylveſtri potius, quàm homini ſimilis eſſe videatur. Fortaſſe etiam moribus hisce ſuis partem menſuræ nominis, quo* je-SUITA *audit, adimpleturus. Sus ſylveſtris iracunda frendet, ſpumat, verrit humum, evertit glebas, erigit ſetas, acuit roſtrum & dentes, & cùm aliud non poteſt, grunnit: ita meus Antagoniſta fremit, frendet, convitiatur, debacchatur, & cùm aliud non poteſt, grunnitu ac rabido ſuo latratu pios B.* LUTHERI *noſtri manes allatrat arroditq́; non aliter ac canis mortuum Leonem. Sanè non putaram in Monachum, hominem,* ex opinione ſua, *religioſum, humanum, tranquillum, ſedatum, tantam animi impotentiam cadere, quæ ne quidem in gentilem Philoſophum.* Sed faciunt Scurræ quod conſueverunt, *ait ille apud Plaut. in Pœnu.* U*tinam parumper ad mentem redeat Apoſtata, ſeipſum vincat, aut compeſcat ſaltem. Metuo enim ne Iracundia illa planè aprugna & ſylveſtri, ſibi ipſi violentam internecionem paret.*

Nam in felle nigro inſaniæ cauſa homini, morsq́ue toto reddito: Adeò magnum eſt in hac parte virus, cum ſe fundit in animum; *Plin.l.11.Hiſt.Nat.cap.37. Et* virum ſtultum interficit iracundia; J*ob.5,2.Sed id habuit ſibi Apoſtata omninò perſuaſum,*

tantæ se auctoritatis virum esse, cujus libido cavillandi patiènter tolerandą sit, & quem contra nostrum nemo vel hiscere ausit, & ne debeat quidem; Cum tamen vix ulla hactenus habita fuerit concio à Nugigerulo, in qua non peculiari post-concione Lutherum omnesq; Lutheranos miris & diris convitiis, sarcasmis Diabolicis, fronte perfricta, ore impuro insectatus fuerit. Verius quadrat in illum, quod Jobo objicitur, cap.11,3. Tibi soli tacebunt homines? & cum cæteros irriseris à nullo contutaberis? *scilicet! Capra nondum peperit; Hædus autem ludit in tectis: Neque Spira Roma est, neq; Apostata Papa;* Cujus culpas redarguere præsumat mortalium nullus, licet suæ & fraternæ salutis negligens, deprehendatur inutilis, & insuper à bono taciturnus, nihilominus innumerabiles populos catervatim secum ducat, primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturus; *uti expresse scribit Jus Canon. dist. 40. c. Si Papa. Verum hoc non nesciat Sycophanta, nobis majorem licentiam esse nostram Orthodoxam Religionem defendendi, quàm sibi suisq; complicibus eandem cavillandi & scurrilibus nugis exagitandi.*

Cæterum mihi ob tantum Adversarij mei furorem (ira enim furor brevis est) in contrarium eundum, ut quo illum impetuosiorem, eò me leniorem animadvertat Lector. In quo, recitante Hormisda, tom. 5. Biblioth. sacr. illum nobilem Pictorem sequar; qui cùm Equum pingere vellet, Asinum sibi proposuit pingenti: Non ut jumentum imitaretur deforme, sed ne in alicujus deformis lineamenti similitudinem lapsus incideret. Hanc meam lenitatem & modestiam, ut & hac vice sentiat immodestissimus Apostata, nolo garritum ipsius interrumpere, sed patienter præstolabor, donec in examinandis meis corollariis Theologicis absolverit pensum; quod suo tempore ad stateram veritatis appendam, & huic Agyrtæ larvam pellemq; ovinam ita detraham, ut qualis intus & in cute sit omnibus appareat. Interim ne sibi imaginetur Bucco, me esse cavillis ac scurrilibus suis nugis jam modò exani-

matum

matum, prodromi loco, Apologiæ ſubſecuturæ præmittam Orationem Theologicam, qua demonſtraturus ſum: Quale-nam animal ſit Jeſuita.

Faciam id, Deo me benè juvante, in Auditorio noſtri Gymnaſij Publico hora II. Pomeridiana diei craſtinæ, in cujus vigiliam incidunt Natales B. LUTHERI, *qui hoc ipſo die ante annos 130. Anno videlicet Chriſti 1483. in hanc lucem natus, & ipſo Martini die S. Baptiſmate renatus eſt. Agite igitur Viri omnium ordinum Magnifici, Nobiliſſimi, Reverendi, Conſultiſſimi, Clariſſimi, Excellentiſſimi, Præſtantiſſimi; agite, inquam, ad horam dictam more ſolito gratiosè & benevolè comparete: Martinalia mecum Scholaſtica celebrate, non quidem in honorem cujusdam Romani Flaminis; ſed eximij Germaniæ Doctoris & Orthodoxæ Religionis reſtauratoris, Megalandri* MARTINI LUTHERI, *cujus Symbolum & veriverbium, VVitebergenſi Cathedræ Theologicæ unà cum ipſius effigie affixum, erat hoc:*

Peſtis eram vivus, moriens ero mors tibi Papa.

P. P. 10. 1xbris. Anno: DoMInVs VICtorIa noſtra.



ERRATA

In Oratione ſic emendentur.

Pag. 2. lin 4. *ſubſannabit. p. 4. lin. 2. fermento, fermentum. p. 5. lin. ult.* λαὸς. *p. 6. lin. 26* ὠὸν. *p. 7. lin. 6. religionis. ibid. lin. 24. velut. ibid. lin. 6. Acherontis. p. 10. lin. 18. incipientes. p. 12. lin 9. mollitus. lin. 15. dele ſeſe. p. 15. lin. 2. adductos. p. 16. lin. 10. exhæredatus.*

In Apologia.

Pag. 8. lin. 9. Soſiæ. p. 13. lin. 26. ſufficienter. pag. 17. lin. 7. ſcribens. ibid. lin. 21. dele In. p. 19. lin. 14. Theologiam. p. 31. lin. 3 à fine, propoſitio. p. 35. lin. ult. Esdræ. pag. 43. lin. 22. ὁ λόκληρος. *p. 51. lin. ult. ſententiam adverſariorum. p. 57. lin. 16. Heshuſ. p. 62. lin. 19.* ἔμφασιν. *p. 64. lin. 2. auſerantur. lin. 14. dele obiici. p. 65. lin. 8. alloquitur. p. 68. lin. 8.* τελειωτὴν. *p. 80. lin. 13. verò. lin. 9. à fine* λοιδορείας.

Cætera pro Candore tuo Lector candide corrige; & ſi quæ forſan acerbiora leges vocamina, non irati, ſed irritati eſſe puta, memor illius Comici:

Qui quæ vult dicit, ea quæ non vult audiet.

Si nihil ſupra plebem litterionum in ſtylo deprehendes, cogita me veridicum fuiſſe non magnidicum. Vale.



CHRISTO

CHRISTO SACRA.

ORATIO THEOLOGICA

De

Jeſuita Phariſaizante.



Uare fremuerunt gentes; & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus CHRISTUM ejus, dicentes; Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis iugum ipſorum.

His nimirum verbis, ſed Hebraicis, Hieropſaltes omnes omnium temporum futuri Meſſiæ Domini ac Salvatoris JESU CHRISTI *hoſtes & adverſarios, ſpiritu ac fervore Prophetico, alloqui & perſtringere voluit. Horum hoſtium in numero cum non poſtremi ſint Hæretici noſtra hac tempeſtate præcipui, Eccleſiæ videlicet Romanæ Cacolicæ Flamines, eorundemq́ viperina progenies Jeſuitica, certè non minus hos, quam alios CHRISTI DOMINI Adverſarios perſtrinxiſſe Regius Propheta credendus eſt, adeò ut omni jure ex ore ipſius Davidis ita modernos CHRISTI ejusq́ Eccleſiæ hoſtes alloqui queamus :* Quare fremuerunt Pontifices, & Jeſuitæ meditati ſunt inania? Aſtiterunt & convenerunt in unum adverſus DOMINUM, & adverſus

CHRISTUM eius, dicentes: Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum. Sed qui habitat in cœlis, irridebit eos, & DOMINUS subsannit eos. Tunc loquetur ad eos in ira sua: & in furore suo conturbabit eos.

Etenim quomodo Romana Ecclesia, quæ ab Apostolo Johanne in Apocalypsi Babylon vocatur, (Cap. 14, 8.) *tempus bene longum* DOMINUM CHRISTUM *omni conatu & hiatu oppugnarit, Christi* γνησίους *discipulos odio plusquam Vatiniano, tyrannide plusquam Herodiana persecuta fuerit, & in vera veræ Ecclesiæ membra desævierit; Testis est in Terris innumerabilium Martyrum sanguis, qui clamat ad Jehovam de terra; Testes sunt in cœlis animæ* interfectorum propter verbum DEI, & propter testimonium, quod habebant; quæ clamāt voce magna, dicentes: usquequo Domine (sanctus & verus) non iudicas & non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra? (Apocal. 6, 9.) *Testes deniq; sunt multi, qui sub ipso jugo Pontificio vixerant, & tamen tyrannidi Pontificiæ partim clam partim palam masculè reclamarunt, quorum Catalogus è Catalogo Testium veritatis petatur.*

Peperit verò hæc Babylonia meretrix progeniem se longè pejorem, quæ se à dulcissimo nomine JESU, *ausu plusquàm nefario & sacrilego,* JESUITAS *appellitare haud erubescit; cum tamen tam longè absint à* JESU, *quam supremum cœlum ab ima terra, ignis ab aqua, Veritas à Mendacio, Tenebræ à Luce,* CHRISTUS *à Belial.* JESUM *enim ejusq; doctrinam non amatum, sed oppugnatum; non propagatum sed profanatum; non stipatum sed exstirpatum; non defensum sed offensum eunt. Hos Pseudo-Jesuitas graphicè depingit Serapion*

Episcopus his verbis: Pro pellibus ovium CHRISTUM induti, dicunt se quidem quod non sunt, quod autem sunt, dici nolunt, sed suam improbitatem amictu nominis tegunt; qui commune quidem nomen habent, student verò ut nomen CHRISTI funditus deleant; qui contra JESUM militant & JESUM invocant. *Et graviter inquit Cyprianus lib. de unitat. Ecclesiæ cap. 2:* Hæreticos docere perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur. *Pseudo-Jesuitæ hi, cùm sint longè impudentiores & pejores ipsis Romanis Pontificibus, symboli loco usurpare possent illud Horatij.*

Damnosa quid non imminuit dies? *L.3.car.Od.6.*
Ætas parentum, pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Quemadmodum enim horum parentes, hoc est, Romani Pontifices posteriores, pejores sunt avis, hoc est, Romanæ Ecclesiæ Episcopis prioribus, qui ad annos bene multos Romanam Ecclesiam virginem conservarunt; ita Pseudo-Jesuitæ posterioribus Pontificibus virginis Romanæ corruptoribus, longè sunt deteriores & vitiosiorem adhuc quotidiè de se dant progeniem. Neque mirum, cum quævis hæresis sit instar fermenti, quod, *ut Hieronymus alicubi scribit,* hanc habet vim, ut si farinæ mixtum fuerit, quod parvum videbatur, crescat in majus, & ad saporem suum universam conspersionem trahat: ita & doctrina hæretica, si vel modicam scintillam in tuum pectus jecerit, in brevi ingens flamma succrescit, & totam hominis possessionem ad se trahit.

Quod itaque vitæ melioris Dux ad discipulos quondam suos, id ad nos hodie inquit: Cavete à fermamento Pharisæorum, *Matth. 16. ubi per Fermamentum, doctrinam Pharisæorum intelligi, testatur Evangelista cap. dicto, vers. 12.*

Esauitas doctrinam eodem fermento Pharisaico fermentatam & probè delibutam habere, suisq; Auditoribus proponere, tam certum est, quàm quòd certissimum. Habuit Robertus Bellarminus Carnalis Romanus, Romæ in Scholis Orationem publicam præfixam Tom. 4. suarum Disputat. in qua demonstrare satagit: Quale animal sit Lutheranus. *Orationem suam his orditur verbis:* Annum jam decimum cum Lutheranis in hac palæstra pugno. Nec mihi tamen unquam venit in mentem, ut antequam novum certamen ingrediar, quale tandem sit animal Lutheranus, aperiam, cum præsertim apud eos agatur, quorum non pauci fortasse nunquam ejusmodi monstra viderunt. Sed hoc anno rei, de qua agitur, magnitudo admonuit, ut non ante in hanc arenam pugnaturus ingrediar, quàm breviter exposuero, quid sit, quod vulgo dicitur LUTHERANUS. *Hæc Bellarminus, qui in eadem oratione Lutheranos Pharisæis monstrosè comparat. Ego verò contra evincam, non* LUTHERANOS, SED JESUITAS esse animal Pharisaicum.

Id ut ordine à me fiat, primò συμφωνίαν *ac consensum morum & vitæ; deinde Religionis & doctrinæ Pharisaicæ & Jesuiticæ breviter ostendam, & sic comparationem, tum quoad* Vitam, *tum quoad* Fidem *utriusq; sectæ, nimirum Pharisaicæ & Esauiticæ, instituam. Hæc dum demonstrare conor sine cincinnis oratoriis, à vobis, Auditores omnium ordinum Magnifici, Nobilissimi, Reverendi, Consultissimi, Clarissimi,*

Experien-

Experientissimi, Præstantissimiq; modis quibus possum, quibus debeo obsecro & obtestor, ut benevolentiæ & candoris auram mihi aspiretis, & de re Theologica stylo simplici verba facienti ignoscatis, memores effati Hieronymiani: De rebus sacris tractanti pedestris oratio necessaria est, non quæ verborum compositione frondescat. *Rogo etiam, ut me non tam benevolè audiatis, quam si fortassis liberius contra falsitatem pro veritate dixero, non voluntati meæ potius, quàm ipsi causæ ascribatis.* Hieronym. ad Damas.

Vita & mores *quales essent Pharisæorum in externa conversatione foris, & in cordibus suis intus, Dominus Matthei 23. luculenter ostendit, Generatim de illis affirmans; Quod* similes sint sepulchris dealbatis, quæ foris quidem apparent speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum omniq; spurcitia. Sic vos, *inquit,* foris quidem apparetis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate. Cap. 23. 27.

*S*PECIATIM *verò quatuor potissimum mores perversi & execrandi, in Pharisæis taxantur & hinc inde severè reprehenduntur. Primus est,* Thrasonica iactantia & arrogantia. *Secundus,* Hypocritica Sanctimonia. *Tertius,* Effrons impudentia. *Quartus,* Sycophantica diligentia. *Hos quatuor fidei & arboris Pharisaicæ flosculos ordine contemplabimur, & Esauitis Pharisaizantibus applicabimus.*

*P*RIMUS *Pharisæorum mos perversus fuit* THRASONICA JACTANTIA & ARROGANTIA, *eaq; duplex, tum Nominis, tum Eruditionis.*

*N*OMINIS *arrogantiam ostentabant in eo, quod nollent amplius Judæi, sed vel* λάος τȣ̃ Θεȣ̃ *populus Dei, vel se-*

men Abrahæ, vel Pharisæi appellitari, teste Josepho lib. 13. Antiquitat. cap. 9. lib. 2. Bell. Judaic. cap. 12. *Teste item Apostolo Paulo,* Rom. 9. *Hinc sunt nonnulli (inter quos Tertullianus lib. 1. de præscript.) qui Pharisæos dictos putent à separatione, quæ est* Phares, *eò quod ab aliis Judæis voluerint esse sejuncti.*

Ita Monachis recentioribus non tam arridet nomen vel CHRISTIANI *vel Pontificij, quam Jesuitæ à nomine* JESU, *quo nomine sese à reliquis Monachorum & Clericorum ordinibus segregant, non aliter ac Pharisæi à reliquis Judæorum Sectis. Nomen hoc an revera his monachis competat, ostendendum mihi erit in Apologia primi Corollarij mei Theologici.*

Merito nominari deberent Lojolitæ ab Ignatio Lojola, milite Hispano crudelissimo. Hujus in arce Pompejopolitana à Gallis obsessa, alterum crus majoris bombardæ ictu comminutum est, alterum gravissimum vulnus accepit. Cum ergo ineptus esset ad negotia militaria & politica, ex desperatione factus est Monachus, & novam Monachorum sectam circa annum Christi 1540, instituit. Noluit verò hanc à nomine suo nuncupare, quippe quod fœtidum & ignobile esse sciebat ipse, sed à glorioso & benedicto nomine JESU; *ideoq; Sectam ipsam Societatem Jesu, Sectæ cultores, Jesuitas indigitavit. Atq; hinc Lojolitæ, vel, si Diis placet, Jesuitæ. Hinc*

Infelix lolium & steriles dominantur avenæ, *Hinc uno verbo:* κακοῦ κόρακος κακὸν ὤον. *Qui hujus Lojolæ, lolij infelicis, historiam breviter cognoscere cupit, legat is Historiam ordinis Jesuitici Hasenmul. c. 1. Chemnitium in Frontispic. Exam. Concil. Trident. Meisner. part. 2. Phil. sob. sect. 1. q. 11. De eo ejusdemq; progenie non inconcinne quidam cecinit:*

Lojola

Lojola miles erat bellofuriosus: ab armis
Qui properè positis in Sacra irrupit, acerbus
Pectore, ceu cultos in agros ruit acta luto Sus.
Hinc Esauitæ, hinc exorta Suitica proles.
Hæret adhuc in progenie natura, cruoris
Humani sitiens sub religionis amictu
Pernicies mundi, primogenitura Acharontis,
Quæ quos desperat causa superare, securi
Flammis & laqueo (sunt hæc mage tuta) trucidat.

Altera Pharisæorum Jactantia fuit Eruditionis. *Apparuit enim in Pharisæorum colluvie ventosa eruditionis & scientiæ singularis arrogantia, quippe qui ingenti strepitu & verborum crepitu populorum in se ora converterunt, soliq; sapientes dici voluerunt, aliis etiam sui ordinis præ se spretis & contemtis, uti manifesta habemus exempla* Joh. 7, 48. *Luc.* 18, 9. *Ecquid de* Jesuitarum *fæce dicemus? Magnam sibi eruditionem ac doctrinæ famam stultè arrogant; in Philosophicis transmarinam, in Theologicis Cherubicam & Seraphicam jactitant sapientiam; cæteros omnes impolitos, hebetes & rudes esse, ineptè blaterant: Suum duntaxat gregem esse eum, cujus industriâ excolantur linguæ, perficiantur artes, Theologia subtiliter juventuti proponatur, clamant; Summatim: Quicunq; ex ordine Jesuitarum.*

Ille sapit solus, reliqui volitant sicut umbræ.

Hinc satis ventosè & pomposè scribit Thomas Bozius lib. 12. de linguis: Inter prædicantes Lutheranos, non esse qui Christianæ facundiæ laude præstet. *Hinc Thrasonica illorum verba ante Colloquium Ratisbonense in literis ad Philippum Ludovicum Bavariæ Ducem:* Veniant Lutherani si viri sunt, veniant, si unum nobis objecerint syllogismum in Bocardo, nos alapam infringemus, & dicemus esse in Bocallo.

Et instante colloquio, cum nostri Ratisbonæ in templum novæ Parochiæ confluxerunt, & sacra Deo fecerunt pro felici colloquij successu Deum orantes: tùm Monachus contra in Cathedrali Basilica convocavit itidem suos, invitavit ut ad pulsum campanæ majoris convenirent ad orandum, non, *inquiens,* precemur ut fidem veram adipiscamur (quod Hæretici faciunt) habemus eam, tenemus eam, orabimus tamen: unica nostra oratio Dominica plus effecerit, quam si Lutherani toto hoc die innumeros pileos precibus confarctos in cœlum emittant. *Sic in ipso Colloquio, cum nostrates Theologi singulis sessionibus præmitterent preces, quas Jesuitæ oscitanter omiserunt, audita est hæc cujusdam Suitæ vox:* Heilbrunnerum nihil amplius posse, quam orare.

Si quis vestrum, Auditores, ex hoc cœtu quærat; cur preces vel planè omiserint, vel tam frigidè tractârint, hi Jesuitæ? an quod Ajaces erant, qui parenti ad preces hortanti respondebat: Adjuvante Deo etiam ignavos vincere solere. *Est hæc quidem præcipua causa, arrogantia nimirum & temeritas; dicam tamen adhuc aliam. Recitat* Laërtius, *quod Bias navigans aliquando cum impiis & scelerosis hominibus, & in summa maris tempestate periclitatus, dixerit impiis suis comitibus, Deorum opem implorantibus:* Silete non precemini, ne Dii vos nebulones hic navigare sentiant: Deus enim impiorum precibus irritatur magis ad vindictam, quam ad opitulandum. *Ejus sibi conscij Esauitæ, parcendum esse procul dubio precibus opinabantur. Sed quantum profecerint suâ jactantiâ & superbiâ jejunus Hungerus, Graculus Gretzerus, Tinnulus Tannerus, exitus probavit. Etenim cum pomposus Tannerus,* Formam,

Lib. 2. cap. 6.

Formam, Formam *Dialecticam toties ingeminaret, turpiter impegit in Grammaticam, cum suo coccysmo & solæcismo,* διδάσκαλε, διδάσκαλε. *Quâ unâ voculâ prodidit, se non Græculum, sed Graculum esse. Huic astans poeta Balduinus, hoc gratulabatur Epigrammate:*

Jam nova Grammaticis vis facta, διδάσκαλε dicit,
Peccat & in forma tam gravis ille pater.
Dico διδάσκαλε, dico διδάσκαλε, sæpius infit,
Hic tantus Doctor, nec tamen erubuit.
O bone! quis Judex fuerit? Sanctissime Clemens,
Si potes, Grammaticam Theiologo affer opem.
Exest auxilium, cunctas componere lites
Papa potest, isti non satis esse potest.

Verè accidit huic Histrioni id, quod Job. de Impiis & hypocritis prædicit: Laus, *inquit,* impiorum brevis est, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Si ascenderit usq; ad cœlum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderant, dicent, ubi est? *Sed non satis est his sociis, ut se nobis hostibus suis excelsè præferant, quin & super reliquos suæ religionis ordines tam superciliosè se extollunt, ut nisi quod ipsi faciunt nihil rectum putent, sibiq; ipsis de semetipsis stultè persuadeant, se alios ordines omnes perfectitudine & industria vincere. Hoc ut probem illi ipsi mihi erunt judices. Sic enim* Thomas Stapleton. *in promptuar. partis hyemalis, pag. 105.* De illa Societate (*Jesuitica*) verum est, quod ante 40. annos de ea scripsisse videtur Joachimus Abbas his verbis: Insurget una nova religio sanctissima, quæ erit libera & spiritualis, in qua Romani Pontifices potiti pace Ecclesiæ se continebunt. Quã religionem & ordinem Deus super omnes alias dili-

Cap. 20, 5.

get, quia perfectio illius vincet omnes alios aliorum ordines.

Non est ovum ovo, lac lacti similius, quam hic ordo Monachorum recentior, tumido illi Elihu, qui contra sui similes Job. 32, 6. *ita insurgit, apud Jobum:* Junior sum tempore, vos autem antiquiores sperabam, quod annorum multitudo doceret sapientiam, sed ut video, non sunt longævi sapientes, nec senes intelligunt Judicium, ideo dicam, audite me ostendam vobis etiam ego meam sapientiam: Respondebo & ego partem meam, & ostendam scientiam meam. Plenus sum enim sermonibus & coarctat me spiritus uteri mei. En venter meus, quasi mustum absq; spiraculo, quod laguncuIas novas disrumpit. *At & hæc fermenti Pharisaico-Esauitici natura, nimirum homines inflare, turgidos & grandiloquos reddere; unde Esauitarum sapientia consistit, in strepitu & crepitu verborum, in lutulenta garrulitate, subsannatione, risu; uno verbo, scurrilibus & histrionicis actionibus. Vis fidem faciam? faciam non meis, sed ipsius Pontificij, Equitis cujusdam Poloni, verbis luculenter, qui quomodo Lublini (anno Christi 1580.) contra Antitrinitarios & Anabaptistas clamarint potius, quam disputarint Jesuitæ, tam verè, quam eleganter recenset. Sic enim ille:* Provocarunt Jesuitæ Lublini superiori anno Antitrinitarios & Anabaptistas ad disputandum: canebant triumphum ante victoriam: in ea disputatione nihil præter redundantem quandam verborum volubilitatem & tragicos clamores, quibus in clamoribus omnes Jesuiticæ laudes positæ sunt, præstiterunt, & tantummodo plebis, & anicularum & collusorum atque suorum compranso-

pransorum approbationem consecuti sunt. *Hæc ille.* *Nostrorum autem omniumq; verorum Theologorum sapientia & prudentia, non consistit in sublimitate sermonis, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus & virtutis, uti loquitur Apostolus 1. Cor. 2. Et hæc est prima Pharisæo-Jesuitica virtus,* Arrogantia *nimirum.*

SECUNDUS *Pharisæorum mos improbus est* Hypocritica Sanctimonia *& simulatio vitæ omnibus numeris perfectæ, unde alios præ se contemserunt.*

Nota est Hypocritica oratio istius Pharisæi: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicuti cæteri homines, raptores, injusti, adulteri: velut etiam hic publicanus. Jejuno bis in Sabbatho: decimas do omnium quæ possideo. *Johan. 8. Adducunt Pharisæi mulierem adulteram, quam accusabant, semetipsos ab omni crimine excusantes. At quid Christus?* Qui, *inquit,* sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Audientes autem hæc, unus post unum exibant, incipientibus à senioribus. *Et Luc. 16, inquit: Vos estis* qui justificatis vos coram hominibus: Deus autem novit corda vestra, quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. *Similiter iste Pharisæus Lucæ 10, 25, Matth. 22, 25, simulabat se legem totam implevisse. Quam assidui Pharisæi fuerint, in demurmurandis preculis, & liberales in erogandis eleemosynis, patet ex Matth. cap. 6. ubi Salvator inquit:* cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis & in vicis, ut honorentur ab hominibus. Et cum oratis non eritis sicut hypocritæ, qui amant in Synagogis & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus.

Luc. 18, 11.

Luc. 16, 15.

Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. *Refert ipse Cæsar Baro. Tom. I. Annalium; nonnullos sibi parâsse asseres, dodrantis tantum latitudine, & in his se ad vesperam locasse, ut si quis dormisset, in pavimentum decideret, & ita rursus excitaretur ad orationem. Alÿ spinas pro stratis habuerunt: alÿ lapillos ex aquis collectos, sibi ipsis straverunt, ut dum his pungerentur, non in profundum somnum deferrentur.* Josephus lib. 18. Antiquit. cap. 2. *illos ita describit: Victus* eorum simplex erat, nullis mollitis delitiis: maiores natu venerabantur, nec eis monentibus responsare aut obloqui audebant. *Contra verò irridebant Christum & Apostolos, quia conversarentur cum publicanis Lucæ 15.*

Et in his ex asse conveniunt Je-Suitæ cum Pharisæis. PRIMO *enim & ipsi simulant sese, quasi essent omnium hominum religiosissimi, & non nisi mera relligio: unde religio ipsis est, Laicos, ipsummet etiam Magistratum adire. Et quemadmodũ principes Sacerdotum tempore passionis Christi renuerunt ingredi Justitiæ locum ne* Contaminarentur, *uti Johan. habet cap. 18: ita Esauitis ordo Magistratus præ suo illo Ecclesiastico, præsertim verò Monastico statu, sordet. Hinc histor Jesuiti. cap. 4.* Nefas, *inquit*, arbitrantur, ut sancti homines, præsertim titulo nominis JESU illustres, secularem Senatum accedant, vel huic se submittant. Sin verò cum privato quopiam agendum, sic se humiles verbis ostendunt, ut factis in omnibus primatum affectare videantur. U*nde factum ut viri etiam principes relicto statu politico receperint se in monasteria, aut certè morituri expetiverint veste Monastica indui & in ea sepeliri, arbitrati miseri, se felicius hoc pacto morituros. De-*

inde

inde apertè docent cum Pharisæis, se legem moralem totam adimplere posse, imo posse adhuc præstare opera supra Leges, quæ vocant opera supererogationis.

Sunt etiam multi qui apertè audent gloriari, se tot & tot annis nullum peccatum admisisse.

Tertio & in preculis Symmistas se præbent Pharisæis, ita enim histor. Jesuit. cap. 4. Quando sua collegia egrediuntur, à manibus propendentia habent rosaria, ad quorum calculos, per publicas plateas, & in angulis, maximè autem, ubi aliqua vel crucis, vel B. Mariæ, imago offertur, quasi attoniti stantes, preculas suas demurmurant, seseq; crucis signo sæpius muniunt.

Quartò, eundem in modum vitam agunt durissimam, dum carnificinam & flagellationem ad necem usq; suadent, sed non nisi incautioribus persuadent. Ea de re legatur carnificina Esauitica D. Georgij Zæmanni, Professoris Theologi Gymnasij Lavingensis. Verum his Esauitis plagiariis merito id opponi potest, quod Christus Pharisæis opposuit, dicens: Matth. 23. Dicunt sed non faciunt: onera gravia & importabilia imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere. *Plinius lib. 8. cap. 23. & Ælianus lib. 9. c. 23. referunt de Amphisbona (quam Epiphan. hæret. 66. serpentem nominat) quæ venenum occultare, at per varietatem decipere fertur. Ejusmodi Amphisbonæ & Polypi fuerunt olim Pharisæi, hodie Jesuitæ, qui ut Pers. ait;*

——————————Fronte politi, *Satyr. 2.*
Astutam vapido gestant sub pectore vulpem.

Sunt uno verbo LUPI, *de quibus Christus Matth. 7.* Cavete vobis à Pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis oviũ, intrinsecus autem sunt Lupi ra-

paces, ex fructibus illorum cognoſcetis eos. *Fructus vero arboris, & ſanctimoniæ Phariſaicæ oſtenduntur nobis in Scriptura triplices. 1. eſt Avaritia. 2. Superbia. 3. Crudelitas.*

AVARITIA *perſtringitur, dum* devorare dicuntur domos viduarum prætextu prolixæ precationis. *Matth.25.* Erant *enim* avari, *habetur Lucæ 16. Bone Deus, quid dicturus erat Chriſtus de Jeſuitis hodiernis, qui ſub prætextu precum ſine mente demurmuratarum, aliorumq́; hujus farinæ operum, totas domos, prata, hortos, vineas, agros, fructus, reditus annuos, cenſus, pecunias aliorum, aperto quaſi rictu devorant, ut illorum ingluvies & inexplebilis avaritia exatiari nequeat?*

Et eò audaciæ progreſſa eſt illorum avaritia & auri ſacra fames, ut non tantum multos ſuo patrimonio legitima hæreditate defraudent, dum moribundis, præſertim lautioris fortunæ adſtant, non ut eos in agone mortis conſolentur, ſed ut aliquam pecuniæ ſummam emulgeant, ſub prætextu liberationis è purgatorio; ſed & ipſoſmet Monachos alios, è cœnobiis ſuis, majori fraude quam laude expellant. Hujus rei exempla poſſent adduci infinita, ſed unum alterumve citabo ex libro haud ita pridem ab ipſis Pontificiis in lucem edito, qui ita inſcribitur: Varia Facultatis Theologicæ & Curiæ Pariſienſis opuſcula, quibus primarium fidei Jeſuiticæ caput evertitur. *Inter opuſcula libri iſtius habetur exemplar Epiſtolæ ſcriptæ ad Paulinum quondam Datarium ſub Clementis IIX. Pontificatu. Ejus Epiſtolæ autor, pag.9. ita ſcribit:* Carthuſiani multum debent, ſcilicet, Patribus Jeſuitis, quia præterquam quod modo dixi, Monaſteria quamplurima quæ poſſidebant in Germania ab iis-

dem

dem Patribus ipsis sublata sunt. Addo, bonos istos patres Jesuitas ita facto conscientiæ addictos, ut neminem quietum relinquant ipsimet inquieti, *& p. 10.* Istorum patrum Jesuitarum conscientia Carmelitis item inclaruit in nostro Belgio, dum præerat Comes Fontanus Antuerpiæ ante longos annos; Patres Jesuitæ Comiti libellum supplicem offerunt, dicentes, paucos esse Religiosos in Cœnobio Carmelitarum Antuerpiæ, placeret itaq; ipsius Excellentiæ dictum Monasterium ipsis donare, postmodum à patribus commodo publico longè majori pluribusq; occupandum. *Id pag. 12.* memorabile est, quibus artibus Canonicos Regulares expulerint. *Id pag. 13.* dicam aliquid observatione dignum. Cameracensi Archiepiscopo defuncto, erant ædes eximiæ, ad instar Palatii Bruxellensis, sed vicinæ & proximæ Collegii patrum, qui illas ut aptas inprimis atq; utiles sibi vendicare gestientes, fingunt emptionem, quam abnuens Archiepiscopus, litem ipsi intentant, in hoc ut dictum palatium ipsis cedere condemnetur, verùm Archiepiscopus causam egit, ut obtinuerit in Concilio Bruxellensi. Quæ, rogo, conscientia spoliare legitimos hæredes justarum, quæ ad ipsos devolvuntur successionum? *Idem ibid.* Memini me à Lusitano audire, divitem quendam numularium, Lisbonæ incolam, qui nunquam uxorem duxerat, nec ullum hæredem habebat præterquam unicum nepotem: Avunculum istum hi patres ita fascinarunt, ut deserto misero nepote, sua omnia ipsis dederit. Prædictus nepos audita avunculi sui morte domum se confert, ubi lictores

ctores atq; alios Justitiæ satellites reperit, qui eò jussu patrum venerant, ad tuitionem donationis defuncti. Mos autem patrius hic est, ut lictores atq; ejusmodi Justitiæ Satellites armati incedant. Dum hic nepos domum introire aggreditur, seque verum hæredem defuncti avunculi declamat, hoc responsum refert; Aditum ipsi præclusum, nec inibi quicquam ipsi esse negotii, LOS APOSTOLOS autem (ita Jesuitas appellitant) adesse, quibus defunctus sua omnia dono dederit. Miser nepos exhæreditatus, talem repulsam passus, exclamavit: *O Jesu Christe, si tales habuisses Apostolos, nunquam Judæi crucifigere te fuissent ausi. Verè igitur scribit Hasenmüll. cap. 6. Histor.* Jes*uit.* Paupertatis voto magnas opes hactenus collegerunt, civitatisq; jura, & privilegia emerunt.

Quid hîc dicendum? quid cogitandum? Exclamandum cum Hieronymo: Frustra ejus lingua prædicat paupertatem, & docet eleemosynas, qui nisi divitiis tumet, viliq; pallio pugnat contra tineas vestium sericarum.

Præter Avaritiæ malum latet insuper sub pallio fictæ & pictæ Pharisæorum Sanctimoniæ, Spiritualis fastus atq; superbia, *qua gaudebant vocari Rabbi, quin & patres, Matth. 23, 9. Sic* Jes*uitæ & Patris, Magistri* NOSTRI, *aliisq; Superbis titulis gestiunt, salutari. Nos ipsis titulos hosce nō invidemus, cumprimis titulū* PATRIS *eo sensu quo cecinit Poëta:*

Non male sunt Monachis grata indita nomina patris,
Cum numerent natos, hîc & ubiq; suos.

Ad

Ad Avaritiam & Fastum accedit CRUDELITAS *pallio hypocritico speciosè tecta. Sancti quidem apparebant Pharisæi & justi, nec tamen spiritum homicidij, quo agitabantur prorsus occultare quiverant. Quam enim sanguinaria consilia injerint contra Christum, quoties illum lapidare voluerint, ac tandem cõspiratione cum Summis sacerdotibus facta, in crucem egerint ex historia Evangelistarum notius est, quam ut prolixâ commemoratione sit opus. Interim tamen à scelere crudelitatis videri volebant alienissimi. In quem finem ædificabant (teste Evangelista Matth. c. 23.)* Sepulchra Prophetarum & ornabant monumenta justorum dicentes: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum, qui Prophetas occiderunt.

Eodem modo Esauitæ prædicant memoriam Apostolorum & ad illorum sepulchra visenda & ornanda hortantur homines, haud aliter ac si graviter ipsis doleat, esse illos olim à persecutoribus indignâ morte sublatos. Atq; interim sub sole non sunt crudeliores, quam sunt Jesuitæ, *totaq; hierarchia Ecclesiastica Pontificia, quæ Christum in suis membris & doctrinam Apostolorum in constantibus ejusdem confessoribus atrocissimè persequitur. Imò expressè* Jesuitæ *Colonienses doctrinam Apostolorum comparant Naso Cereo, Fabulis Æsopi; Costerus Vaginæ; Bellarminus Alcorano; Hosius blasphemè scribit:* Scripturas *(quæ quid aliud sunt quam verbum Prophetarum & Apostolorum?)* non in eo sensu quem Romana Ecclesia amplectitur, proferre, non est expressum Dei, sed expressum Diaboli *(horresco referens)* verbum proferre. *Meritò his respondemus id quod Christus Pharisæis l. d. respondit*; Testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui Prophetas occiderunt. Et

vos implete mensuram patrum vestrorum: Serpentes & genimina viperarum quomodo fugietis à judicio gehennæ?

Quorum enim est hæc barbara & immanis Esauitica & sanguinaria sententia? Hæreticum occide, ure, seca, tolle, crucifige? *Nonnè Esauitarum? Quinam consilia de hæreticis occidendis scripserunt? Nonne Esauitæ? Quinam facto pugnârunt tormentario, pugnârunt atramentario pulvere; tumultus excitârunt, proditiones varias & sicarias, jugulum, & dentes Regum, cor Reginarum, gulam principum petiverunt? Nonne Esauitæ? Quinam classes instruxerunt terq; quaterq; ligam ligârunt, inquisitionem Hispanicam ferro & igni promulgârunt, exquisita tormenta excogitarunt? Nonne* Jesuitæ? *Qui adhuc ista facinora laudant & publicis scriptis sicarios ob ista scelera morte damnatos, Martyrum numero adscribunt? Nonne Jesuitæ? Et tamen nolunt audire Esauitæ, cum eorum ferocia & crudelitas exuperet ferocitatem Esaui; adeo ut verum sit de illis illius Epigram.*

Semiviros quicunq; Patres radiante galero
    Conspicis & rubræ syrmata longa togæ.
Crede mihi, nullo saturatas murice vestes
    Divite nec cocco pallia tincta vides.
Sed quæ rubra vides sanctorum aut cæde virorum
    Et sparsa insonti tota cruore madent.
Aut memor istorum quæ celat crimina vestis
    Pro dominis iusto tacta pudore madet.

Verè exclamandum hic cum Authore libri stellæ Clericorum: O Domine, pastores tui mutati sunt in tonsores, defensores in dissipatores; qui debent esse sobrii, quotidiè sunt ebrii, qui prælati, Pilati; qui casti, incesti, qui doctores, seductores.

Restant

Restant adhuc, Auditores æquissimi Mores Pharisæo-Jesuitici bini, quos indice saltem digito ut ostendam tempus monet.

Tertius itaq; Mos Pharisæorum improbus erat Effrons Impudentia. *Licet enim acutissimâ Christi acie sæpenumero victi sint atq; vincti, ita, ut qui accesserant induti robore, discesserint suffusi rubore, teste Evangelista Matth. 22. vers. ult. Johan. 8. 9. noluerunt tamen quiescere, sed ultro citroq; refluxerunt, ut hoc pacto ab omni modestia alienos atq; remotos se esse, testatum relinquerent. Agedũ, quid Jesuitæ? Annon musca sunt impudentiores? Profecto est in ipsis hominibus magna contemptio & firmitas animi adversus ea mala, quæ pudorem incutiunt, & effrenata ad turpitudinem licentia. Hujus rei unicum exemplum affero ex actis Colloquij Ratisbonensis. Consederat in Pontificiis subselliis Adamus Tannerus, consederat is imberbis loco inferiori: qui ægrè ferens tam miserè Gretzerum circa Aharonem palpitare in tenebris, & nec Urim nec Thunum, nec Ephod, nec capitium, nec vittam, nec Turibulum, nec Acerram Sacerdotis reperire amplius posse: ideo variis adminiculis, acclamatiunculis, susurris, grunnitu subvenire satagens Gretzero, iste blatero, haud parum molestiæ creabat nostris collocutoribus. Non erat ille Collocutor nominatus, non subscripserat thematibus aut Pontificiorum aut nostris, non juraverat in Leges, non erat vocatus, nihilominus ingerebat sese ad hoc officium polypragmon. Nostri permolestum sibi hoc esse publicè querulantes, ne nimirum quilibet Adversariorum pro libitu in ipsos inveheretur, præsertim cum ita conventum esset, ut ex utraq; parte bini duntaxat colloquendi munere fungerentur. Accusant hunc Polypragmonem. Quid adhæc Tannerus? Erubuit fortè? Depuduerat jampridem.* Redire nescit cum perit pudor, *in-*

quit Seneca: Ergo assurgit impudens, ægrè fert se modestè castigari, & erupit stomachabundus in hanc insolentem vocem: Dicitis me ab Illustrissimo meo, non esse nominatum; ego meipsum nominabo.

Quid quæso, Auditores, os impudens est, si hoc non est? Non tantum hic Scurra seipsum hostibus, sed & propriis commilitonibus, de facto impudenter anteponebat. Verum itaq; de Esauitis, quod Epipha. de Messalianis hæreticis scribit: Eos neq; satiari impudentia, neq; repleri posse insipientia: sed ad omnia expandere suam cogitationem, & hians os habere. *Ac ingenio horum novellorum Monachorum apprimè convenit Symbolum Caligulæ, dicentis:* Se nihil magis in natura probare sua, quàm impudentiã.

Esauitæ etiam singularem impudentiam probant in eo, dum notissima negant, falsissima propugnant, apertè mentiuntur, nostros calumniantur, stentoreos clamores excitant, secreta quævis exquirunt, in varias formas se transmutant, in aulis principum omnia pro libitu, quasi Domini essent, sub religionis schemate disponunt, dirigunt & moderantur. Sed satis etiam de TERTIO *Pharisæo-Jesuitico more improbo. Restat*

QUARTUS, *nimirum* SYCOPHANTICA DILIGENTIA *in spargenda & propaganda sua falsa doctrina. Hinc in-*
Matth. 23, 15. *quit Christus:* Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia circumitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ, duplò quàm vos. *Quis verò & in hoc diligentiæ genere palmam eripiat Jesuitis? Annon mare & aridam seu terram, omnesq; insulas circumeunt, in hoc unum intenti, ut improvidos circumveniant, suaq; blandilo-*

quentia in casses impiæ suæ doctrinæ redigant? An non multas terrarum oras peragrant, ut suæ fidei seu potius perfidiæ adolescentes mandentur quamplurimi? Gloriantur quidem se gratis docere, at non fatentur se gratis nocere, dum non tantum ex Magnatum ærariis, & discipulorum patrimoniis ditescunt, sed & discipulorum (quorum plurimos sæpius emendicarunt, vel plagio abduxerunt) animos sibi similes faciunt, clamosos, rixosos, perjuros, Hypocritas, Sophistas, emissarios, exploratores: imo quemadmodum Pharisæi suos, ita Jesuitæ *suos discipulos in gehennam detrudunt. In suo namq; Gymnasio procreant typhones, turbones, tenebriones, stelliones, sophistas, agyrtas, homicidas, Regicidas. Testis est* Jacobus *Clemens, minimè clemens, qui à* Jesuitis *edoctus:* Magistratum tyrannum vel hæreticum, iure interimi posse; *Henrico eo nomine Galliæ Regi necem intulit. Testis est* Johannes *Castellus, qui posteaquam à Viradio* Jesuitarum *Gymnasiarcha perceperat*, non posse ab aliquo in mundo fieri ullum opus magis meritorium, quam si Regem Galliæ Henricum quartum interficeret; *in Regia parricidium tentavit. Testis est* Johannes *Mariana* Jesuita, *qui ejusmodi facinora laudat commendatq; libr. 1. de Regis instit. cap. 6. Sed quod Christus* Johan. *8. Pharisæis &* Judæis; *hoc huic Marianæ & omnibus è Societate respondemus:* Vos ex patre Diabolo estis: & desideria ac opera patris vestri vultis facere: ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex proprio loquitur: quia mendax & mendacii pater est.

Hucusq; Pharisæorum & Jesuitarum *comparatio Morum & Vitæ. Nunc deberem etiam, Auditores, comparationem*

nem Religionis & doctrinæ instituere; verum quia meum non est Auditorium hoc splendidum ultra tempus detinere, ideoq́ tribus quaterve lineis saltem, membrum hoc orationis posterius delineabo, præsertim cum materia hæc doctrinalis magis pertineat ad forum Disputatorium, quam Oratorium. Poterit verè haud incommodè doctrina Pharisæorum dispesci in Fundamentum seu principium; & Fundamentatum seu Principiatum.

Fundamentum & principium doctrinæ & fidei Pharisaicæ fuit non verbum divinum, non Prophetæ, non Apostoli; sed vel Summus Pontifex ejusdemq́ successio & Cathedra; vel Templum Hierosolymitanum; vel Concilia; vel Traditiones.

De summo Sacerdote & Pontifice ejusdemq́ Cathedra mirificè gloriabantur Pharisaici & Judaici Doctores, in Mose sperantes, ut Christus eis objicit, Matth. 5. & illius discipulos se profitentes Johan. 9. In illius erga Cathedra sedentes ac docentes errare non posse clamabant Judæi adversus Prophet. Jeremiam. cap. 18. dicentes: Venite & cogitemus contra Jeremiam cogitationes (NON enim PERIBIT LEX A SACERDOTE, neq; consilium à sapiente, nec sermo à Propheta) venite & percutiamus eum lingua, & non attendamus ad universos sermones ejus. *Nonne pari modo gloriantur Jesuitæ nostri de Cathedræ Romanæ infallibilitate? quasi Pontifex in ea sedens & docens & decreta faciens & sententias eructans, erroris omnis sit expers? Sicut autem Cathedra Mosis non præstabat erroris immunes sedentes in illa Sacerdotes, Pharisæos, Scribas, quin graviter errarēt in doctrina publica; quod ex libris omnium Evangelistarum luce clarius est: Sic nec Cathe-*

dræ

dra Petri cæterorumq; Apoſtolorum, quam olim pij Epiſcopi Romæ tenebant, ab infirmitate errandi eximit poſteriorum temporum Epiſcopos Romanos. Utriſq; *reſpondet Dominus Ezechielis 7.* PERIBIT LEX à SACERDOTE, & conſilium à ſapiẽte. *Et docuit eventus, quam fœdè erraverint, cùm hi, tùm illi. Opponimus vero* Jeſuitis *ex Jur. Canon. Diſt. 40. ubi c. 2. hæc citantur verba Hieronymi :* Non eſt facile ſtare loco Pauli, & tenere gradum Petri, quia hinc dicitur; non Sanctorum filii ſunt, qui tenent loca Sanctorum, ſed qui exercent opera eorum. *Item Gregorij :* Nos qui præſumus, non ex locorum vel generis dignitate, ſed morum nobilitate innoteſcere debemus, nec urbium claritate, ſed fidei puritate. *Et c. 4. ejusdem Gregorij allegatur ſententia hæc:* Non loca, vel ordines Creatori noſtro proximos faciunt : ſed ei nos merita bona jungunt, aut mala disjungunt. *Et* Chryſoſtomus *inquit :* Videte fratres, quomodo ſedeatis ſuper Cathedram. Non enim Cathedra facit Sacerdotem, ſed Sacerdos Cathedram : non locus ſanctificat hominem, ſed homo locum ſanctificat. Qui benè ſederit ſuper Cathedram, honorem accipit Cathedræ, qui malè ſederit, injuriam facit Cathedræ. *Et* Tertullianus *ait :* Non valet in Eccleſia locus, ſed doctrinæ & veritatis ſucceſſio.

In TEMPLO *Hieroſolymitano maximopere etiam confidebant* Judæi *& Phariſæi, putantes nunquam id abjectum, nunquam everſum iri; quapropter adverſus* Jeremiam *Prophetam prædicentem everſionem templi & urbis, ſublato clamore vociferabantur* Jerem. 18 : Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini. *Et de ſecundo*

Templo inquiunt Johan. 2. *ad Christum:* Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc: & tu in tribus diebus excitabis illud? *Hac de causa Protomartyr Stephanus ad tribunalia tractus & capitis damnatus est, cum subornati testes adversus illũ essent testati:* Audivimus eum dicentem, quoniam Jesus Nazarenus hic, destruet locum hunc, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moses Act. 6. *Eodem planè modo adhuc hodie Esuitæ vociferantur:* Ecclesia, Ecclesia, Catholica, Catholica. *Sed clament adversarij* Jeremiæ *ad ravim usq;; clament & testes falsi contra Stephanum conducti, & jactent suum templum; Jesuitæ verò suam Ecclesiam: tamen Dominus & templum, in quo confidebant Judæi, permisit everti funditus; & Ecclesiam Romanam in meretricem degenerare Babylonicam.*

Et in CONCILIIS *non parum spei præsidijq; collocabant Judæi ac Pharisæi. In iis præsidebat Summus Pontifex, autumans, se suosq; Socios non errare, sed esse fideli mente tenendum, quicquid ibi velint ex Cathedra pronunciare. Est verò cumprimis eorum Conciliorum, quæ tempore Christi sunt habita, magna conformitas cum iis, quæ sub Romanis Pontificibus aliquot seculis sunt celebrata. Nam neq; hîc neque illic Scriptura Sacra magnoperè attendebatur; sed Canonem ponebant ipsi, præconceptas suas opiniones. Adde, quod in Conciliis,* Joh. 7. Matth. 26. *& alibi Caiphas arrogabat sibi judicis munus, cum esset in controversia inter Sacerdotes & Christum mota pars altera: Siquidem* Christus *doctrinam ipsius ut falsam & impiam rejiciebat: haud aliter atq; in* Constantiensi *& Tridentino* Conciliabulis, *Pontifex Romanus, qui sustinebat rationem alterius partis litigantium, contra rectam rationem judicij, munus sibi sumsit judicis,*

dicis, ut ad libitum ſuum cuderet decreta, quibus doctrinam Evangelij dogmatibus ſuis adverſantem, una cum ſinceris confeſſoribus Evangelicæ veritatis opprimeret,&c. Sicut ergo Judaicorum Pontificum Concilia,etiam generalia,turpiter errare poterant,& errarunt ſæpe,velut Johan.7.*&* Matth. 16 Act.4.5,22.23. *Ita quoq; Pontificum Romanorum Concilia, generalia licet, graviſſimè ſæpè errârunt,uti exempla paſſim teſtantur.*

Deniq; Judæi Phariſæiq; procedebant & ſubinde accumulabant TRADITIONES *obſervandas poſteris,quæ deinde Seniorum nomine ſpecioſè venditabantur, & has æquiparabant verbo Dei ſcripto, eiq; tanquam aſſumentum quoddam adjiciebant, opinantes, non omnia dogmata contineri in Scriptura, ſed attendendas eſſe traditiones ſive conſtitutiones Seniorum,quibus Scripturarum defectus ſuppleatur. Earum frequens eſt mentio in hiſtoria Evangelica* Matth. 5. 15.23. Luc. 11. *& alibi. Expoſtulabant etiam cum Chriſto, ob non ſervatas ab ipſo & Apoſtolis illas traditiones, dicentes:* Quare diſcipuli tui transgrediuntur traditionem Seniorum? non enim abluunt manus, cum edunt panem. *Matth. 15,2.*
Quid? annon ad amuſſim Pontificij & Jeſuitici Doctores, hac in parte Phariſaizant, dum non contenti ſcripto Dei verbo, quoddam jactant verbum ἄγραφον, *traditionibus conſtans, cujus additione ſuppleatur defectus Scripturæ: Quin rixantur nobiscum (ad exemplum Anteceſſorum ſuorum Phariſæorum) cur non præter verbum Dei ſcriptum, ſervemus etiam traditiones? quas ipſi pari planè veneratione, quâ Scripturam ipſam Prophetarum & Apoſtolorum, ſuſcipiendas autumant.*

Atq; ita in Fundamento ſeu Principio Religionis convenit Jeſuitis cum Phariſæis.

Fundamentatum seu Principiatum quin habeant idem Jesuitæ cum Pharisæis, nullus negabit: nisi qui non intellexerit illam Logicorum Maximam: Qualis causa talis Effectus; quale principium tale principiatum. Cum itaque Esauitæ in principiis conveniant cum Pharisæis, quis dubitabit, illos etiam in principiatis, hoc est in ipsis doctrinæ capitibus & articulis ex asse convenire? Hoc non esset operosum probare, (præsertim quoad Articulum Justificationis, Peccati Originis, Liberi Arbitrij, Purgatorij, & aliorum) nisi tædiosum foret hac vice audire.

Quare cùm (ut vulgo dicitur) non sacco sed manu serendum, & una vice omnia prosequi velle curiositatis sit, secundum Subtilitatis Magistrum: ideoq; hîc filum abrumpo, & quædam in aliud tempus differo, ubi cum fœnore (præsertim si ab Adversariis lacessitus fuero) ea quæ restant compensabo.

Atque hæc sunt Martinalia Scholastica Auditores, ad quæ quod officiosè invitati, tam generosè cõparueritis, gratias vobis omnibus & singulis singulares habeo, submissè rogans, ut appositus hosce Scholasticos in convivio hoc nostro Martinali, æqui boniq; consulere velitis.

Nunc Martinalia hæc finiamus, & prece & cantu. Votis itaq; ardentissimis ita precabimur: Tibi ô æterne Deus, Pater Domini nostri, Jesu Christi, cum Spiritu sancto, gratias agimus devotas, quod fidelissimâ operâ MARTINI LUTHERI, *cœnum & venenum ex Evangelicis fontibus ejecisti, Ecclesiæ salutarem doctrinam quasi postliminio restituisti, atq; nobis hoc ipso in loco inter medios Satanæ furores grata halcyonia fecisti. Te invocamus Sancta Trinitas, ut maneas apud nos, quoniam advesperascit, & hanc domum inhabites, & templum dignum facias gloria tua: Rogamus Patrem per*

Filium,

Filium, rogamus Spiritum ſanctum per Patrem & Filium, ut hic B. Lutheri dies natalis, feliciſſimè currat recurratq́; , æternum niteat, ſed religione, æternum luceat, ſed apud hoſtes noſtros, ut videant bona opera noſtra, & te glorificent. Reple os noſtrum laude tua Domine, aperi labia noſtra, ut annunciemus nomen tuum, ut cantemus gloriam tuam, & non tantum in hac, ſed omnibus vitæ diebus Majeſtatem tuam. Repelle à nobis omnem doctrinam cœno hæretico & cumprimis Phariſæo-Eſauitico fermento infectam.


Sedibus à noſtris Deus hanc avertito peſtem! Deus contere dentes hoſtium noſtrorum in ore ipſorum; molas leonum confringe Domine: quoniam nequitiæ in habitaculis eorum in medio eorum. Tuere Magiſtratum noſtrum, adjuva eum propter gloriam nominis tui; deſiderium cordis tribue ei, & petitionem labiorum non denega ei, præveni eum in benedictionibus, pone in capite ejus coronam de lapide pretioſo. Conſerva etiam cœtum docentium, & nomen tuum profitentium in Eccleſia & Schola: mitte illis ſapientiam de cœlis, & à ſede magnitudinis tuæ, ut cum ipſis ſit, & cum ipſis laboret, ut ſciant, quid acceptum ſit apud te. Denique dirige cœtum diſcentium, ut omnes ſanctæ virtutes plantentur in ipſo. Lava quod in ipſo eſt ſordidum, riga quod eſt aridum, ſana quod eſt ſaucium, flecte quod eſt rigidum, fove quod eſt frigidum, rege quod eſt devium. O adoranda Trinitas, ô veneranda unitas! te decet laus, te decet hymnus, tibi cœli & univerſæ poteſtates hymnum dicunt, & laudes indeſinenter canunt. Tandem vos Cantores & Muſici, agite, bonæ clauſulæ, ergò in honorem Dei, memoriam Martini Lutheri, extollite voces veſtras, Cantate Domino canticum novum, Laudate Dominum in Sanctis ejus, laudate eum in firmamento virtutis:

Laudate eum in virtute ejus : Laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis ejus: Laudate eum in ſono tubæ, laudate eum in Pſalterio & cythara : Laudate eum in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo : Laudate eum in cymbalis benè ſonantibus: laudate eum in cymbalis jubilationis : OMNIS SPIRITUS *laudet Dominum! Halleluja.*

DIXI.

FINIS.





Apologia.
DISPUTATIONUM DUARUM IN GYMNASIO SPIRENSI PUBLICE HAbitarum.

Causam Apologiæ hujus susceptæ, dedimus in præloquio ad Lectorem Sincerum. Nunc ἄνευ προοιμίε *ipsa problemata, ab Adversarij partim Sophisticationibus, partim Criminationibus liberabimus.*

DISPUTATIONIS PRIMÆ

Quæstio Theologica Prima ita habet:

AN nomen Prædicantis, *quo Esauitæ nostros Ecclesiæ Doctores publicè dehonestare satagunt, sit ignominiosum & probrosum? R. Est honorificentissimum, quia & ipsi Prophetæ jussu* JEHOVÆ Prædicarunt, *Esa.61,1. Jer.7,2. Et ipse* JESUS *fuit* Prædicans, *Matth. 4,23.* Prædicavit *Matth.9,35. 1.Petr.3,19. jussit Apostolos* Prædicare, *Marc.16,15. Qui & ipsius nomine* Prædica-

 runt,

runt, *Marc.16,20. 1.Cor.1,33.* Unde *Evangelium vocatur stultitia* Prædicationis, *1.Cor.1,21. Imò* Johann. *Baptista, qui maior omni Papa(Matth.11,11.)erat* Prędicans, *Matth. 3,1.Luc.3,3.(item Apost.Paulus 1.Cor 9,18.) Quare si Esauitæ noluerint vocari* Prædicantes, *seu verbi Divini* præcones, *vocentur* prædantes, *seu verbi Divini* prædones; *per nos & rei veritatem licet.* J*esuitæ certè hac ratione nominari haud possunt.*

APOLOGIA.



Irgula Aristarchi censoria hic triplex: Tripliciter enim enormiter peccare ipsi videor.1. Malè. 2.Pejus. 3.Pessimè. 1. Malè; Esauitas nostræ Ecclesiæ Doctores publicè dehonestare nomine Prædicantis *scribendo. 2. Pejus;* Lojolitas Esauitas *vocando. 3. Pessimè; eosdem* Prædantes, *seu* Prædones *nominando.*

Hinc oritur triplex controversiæ status.

Primo controvertitur: An Lojolitæ honoris, an verò ignominiæ ergò Lutheranos Doctores, PRÆDICANTES nominent? *Prius affirmat Adversarius, posterius Ego.*

Suam *duplici conatus fuit probare sententiam argumento.* Primum *ducitur à* simili, *quod tale est: Quemadmodum Principem vocando* illustrem, *non dehonesto: ita Lutheranum vocando* Prædicantem *ignominia non afficio.*

Quia verò Adversarius admodum fœcundus in suggestu suo, Syllogismis, ideo lubet singula ipsius argumenta reducere ad Formam, quò pateat Lectori, à qua parte stet Veritas, à qua Fallacia.

Ex

Ex hoc verò medio concludendi talis exsurgit Syllogismus:

Si Principem titulo illustri *honoro, sequitur, quòd etiam Lutheranum titulo* Prædicatorio *honestem.*

At verum Antecedens. E. & Consequens.

Ratio Connexionis est: quia sicuti Principi proprium suum titulum, ita & Lutherano suum proprium tribuo. At tribuendo cuilibet, quod suum est, nemini ignominiam aut injuriam facio.

Respondeo, Primò, *Laborat tota argumentatio hæc insigni* petitionis principii fallacia: *nam hoc in quæstione adhuc: utrum simili honoris affectu Lojolita Lutheranum vocet* Prædicantem, *quo Principem* illustrem. *Apostata quidem affirmat, sed contra scientiam & conscientiam, uti mox patebit.*

Deinde, *latet* fraus in voce Proprii. *Etenim non omne Proprium arguit statim honorem, sed & ignominiam arguere potest, idq; vel ex natura rei, vel ex intentione Adversarij. Ex natura rei, seu* ὄντως, *ut quando Diabolum voco nomine proprio Mendacem, quia loquitur mendacium* ex propriis, *Joh. 8, 44. Sic quando Tyrannum voco Crudelem.*

Ex intentione Adversarij, ut quando Lojolita Lutheranum vocat Prædicantem, quasi Lutherani *nil nisi Prædicare; Soli verò* Loiolitæ *disputare possint. Hîc nomen Prædicantis, Lutheranis imponitur non bona, sed mala intentione, quæ semper ignominiam arguit. Addo & hoc: Si nomen Prædicantis, quod Lutherani cum Christo & Apostolis commune habent, Lutheranorum proprium est (respectu Lojolitarum) sequitur Lojolitis non competere. Si hoc: E. neq; Lojolitæ conveniunt cum Christo & Apostolis. Quæcunq; enim in uno tertio non conveniunt, inter se non conveniunt.*

 Secun-

Secundum *Ariſtarchi argumentum ducitur* à propria mea confeſſione: *Quia ipſemet ſcribo, nomen hoc eſſe* Honorificentiſſimum. *Hinc talis Syllogiſmus:*

Quodcunq́ eſt honorificentiſſimum, illud non poteſt fieri ignominioſum.

Atqui nomen Prædicantis *eſt honorificentiſſimum.*

E. fieri non poteſt ignominioſum.

R. ad Majorem, illam non eſſe κατὰ παντὸς *veram. Siquidem id, quod per ſe eſt honorificentiſſimum, per accidens fieri poteſt ignominioſum. Optimæ enim rei interdum peſſimus eſt abuſus, isq́ vel ex malitia, vel ex inſcitia & craſſa ignorantia. Ex Malitia, ut quando impij* nomen JEHOVÆ, *ignominia afficiunt, illoq́ abutuntur. Hinc Apoſtolus Paulus Rom. 2, 24.* NOMEN Dei per vos *(impios Judæos)* blaſphematur, ſicut ſcriptum eſt: *Scilicet Eſa. 52. v. 5: ubi* JEHOVA, *inquit: jugiter tota die Nomen meum blaſphematur: item Ezech. 36, 22:* Polluerunt Nomen Sanctum meum. *Sic in Primitiva Eccleſia nomen* Chriſtianorum, *adeò exoſum erat Gentilibus, ut ob ſolum illud fideles Chriſti ſectatores odio perſecuti fuerint infenſiſſimo. Hinc Chriſtianos vocabant Aſinarios, ob Chriſtum, qui Aſino inſederat.* Euſeb. lib. 3. hiſtor. Eccleſiaſt. c. 30. *de perſecutore Chriſtianorum crudeliſſimo, Imperatore Trajano ita ſcribit:* Tanta in compluribus locis conſtituta fuerat adverſum noſtros perſecutio, ut Plinius Secundus Clariſſimus Præſes, ſuper multitudinem Martyrum motus ad Imperatorem de multitudine eorum detulerit, qui & propter fidem interimerentur, ac ſimul illi ſignificaverit, quòd nihil impium, aut quod præter leges ſit, facere deprehenſi ſint, niſi quod matutino

tempore exſurgentes, CHRISTUM tanquam DEUM hymnis celebrarent. Quibus cognitis Trajanus hujusmodi edictum poſuit: Chriſtianorum gentem exquirendam quidem non eſſe, ſi verò incidant aliqui, puniri debere. *Hæc Euſebius. Taxat autem edicti imperatorij abſurditatem* Tertullianus *in hunc modum:* Reſcripſit Trajanus; Chriſtianos inquirendos non eſſe: oblatos verò puniri oportere. O ſententiam neceſſitate confuſam! negat inquirendos ut innocentes: & mandat puniendos ut nocentes: parcit & ſævit: diſsimulat & animadvertit. *Ibidem ait* Tertullianus: In Chriſtianis Nomen damnari & puniri, non crimen aut ſcelus: ſolum nomen innocuum hominibus innocuis, eſſe pro crimine, propter quod plectantur. *Ita temporibus Adriani Imper. Serenius Granianus Legatus, vir apprimè nobilis, literas, teſte* Euſebio lib. 4. c. 8, *ad Imperatorem miſit;* iniquiſsimum eſſe dicens, clamoribus vulgi innocentium Chriſtianorum ſanguinem concedi, & ſine ullo crimine, & nominis tantum & ſectæ reos fieri. *Simili modo Lojolitæ nomen* Prædicantis *per ſe honorificentiſſimum, ignominioſè interpretantur, & Lutheranis applicant per calumniam, quæ non ſemper ex verbis, ſed & ex affectu judicanda. Sic ex inſcitia & craſſa ignorantia quandoq; nomen per ſe honeſtum, ſummâ afficitur & injuriâ & ignominiâ. Exemplum habemus in* Judæis, Act. 3. ℣. 14. & ſeq. *ubi inquit Petrus ad* Judæos; Vos petiſtis virum homicidam donari vobis: Autorem verò vitæ interfeciſtis, & per ignorantiam feciſtis, ſicut & Principes veſtri. *Item in Paulo infenſiſſimo fidelium perſecutore, qui* 1. Timoth. 1. ℣. 13. *de ſe ita ſcribit:* Prius blaſphemus

ſui, & perſecutor & contumelioſus: ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.

Manet proinde hoc; Nomen per ſe honorificum ratione uſus veri, nunquam dehoneſtari, ſed ſæpius per accidens, ratione videlicet abuſus, quò pertinet vulgatus iſte verſus:

Uſus habet laudem, crimen abuſus habet.

Atq́ hæc de ſententia Adverſarij hujus controverſiæ.

Meam *hoc roboro Syllogiſmo:*

Quicunq́ Prædicantem deſcribit 1. per hominem laſcivum, 2. Avarum, 3. Mendacem, 4. Garrulum; is de Prædicante non honeſtè ſeu honorificè; ſed ſcabioſè ſeu ignominioſè ſentit.

Atqui Lojolitæ ita deſcribunt Prædicantem.

E. de Prædicante non honeſtè ſed ſcabioſè ſentiunt.

Minorem ex omnium hodiernorum Lojolitarum ſcriptis demonſtrare poſſem facilimè: ſed quia brevitati ſtudendum, ideoq́ unius Gretzeri Loiolitæ Ingolſtadienſis unicum ſcriptum adducam. Miſit is pro Lauſero (ita vocat pediculoſus iſte Monachus inſignem illum, & de Eccleſia Chriſti optimè meritum Theologum Polycarpum Lyſerum, Electorum Saxoniæ Eccleſiaſten olim Aulicum fideliſſimum) Honorarium, quod cum aliis ejusdem monetæ ſcriptiunculis excuſum eſt Ingolſtadij apud Sartorem anno 606. in 8. Iſtarum Scriptiuncularum pag. 496. ita, alios ex ſuo judicans ingenio, gannit: Ut ſciamus, quàm occupatum ſit ANIMAL PRÆDICANS, prolixum nobis texit *(Lyſerus)* occupationum PRÆDICANTIUM catalogum: *Modò ægrotos viſitare* (imò, *addit Gretzerus*, ægrotas præſertim viduas adoleſcentiores & opulentiores, cum quibus

bus PRÆDICANTES ſuaviſsima miſcent colloquia, ex Ovidiana arte amandi: vix invenias PRÆDICANTEM, qui non libentius conſoletur afflictas, quàm afflictos.) *modò defunctos ſepelire* (id eſt, *ut Gretzerus explicat*, ſine crux ſine lux, non tamen ſine boatu PRÆDICANTIUM) *Si quod reliquum tempus, precationi & meditationi ſacræ deſtinatur* (*addit Gretzerus pag. 497*, iuxta notionẽ illius: auri ſacra fames; quia PRÆDICANTES meditantur ut lupi & vulpes) *pag. 498. ſcribit:* ſplendidè mentitur *Prædicans*, *Prædicans* garrit, *pag 503*, multa declamat *Prædicans*. *Hinc exſtruo definitionem PRÆDICANTIS Gretzerianam: PRÆDICANS eſt ANIMAL ſuaviſſima miſcens colloquia ex Ovidiana arte amandi, cum ægrotis viduis adoleſcentioribus; libentius conſolans afflictas, quàm afflictos; laborans auri ſacrâ fame; meditans ut lupus & vulpes; ſplendidè mentiens, garriens, declamans.*

Jam quæro ex Apoſtata; utrum hoc ſit honeſtè de Prædicante ſentire? Vultísne & vos Lojolitæ honeſto hoc nomine vocari? certè digni non eſtis Definito; at Definitione ipsâ, quippe quæ non verbi Divini Prædicantibus, ſed veſtris Miſſificantibus optimè convenit. Tolle ergo Definitum ſeu nomen, Prædicans, *& ſubſtitue,* Lojolita Miſſificans; *ac habebis egregiam* Loiolitæ *definitionem hanc:* Lojolita Miſſificans *eſt animal ſuaviſſima miſcens colloquia ex Ovidiana arte amandi, cum ægrotis viduis &c.*

Tandem non abs re quæro ex Adverſario; quâ intentione, quo animo **Majerhoff** *Speculum Prædicantium; ſuus Prædeceſſor Magirus Latinum Prædicans* **Prædicanten Latein/** *ſcripſerit? bonóne? certè qui credit ſimplex, qui affirmat impudens*

pudens est Atq; impudentiam nostri Apostatæ miramur, quòd ea negare audeat, quæ etiam lippis & tonsoribus nota sunt, quæq; suorum Contribulium vix ullus hactenus negavit. Sed forsan piam hic voluit committere fraudem, & palpum obtrudere imperitioribus. Aliud enim est, *(uti Eccius dicebat)* disputare, aliud cum populo agere. Et licet aliquando *(ut Toletus l.4.instruct.Sacerd.c.21.scribit:)* uti æquivocatione & decipere audientem. *Sed verè quadrat in Apostatam & quemlibet Lojolitam illud Sosij apud Plautum:* Si dixero mendacium, solens meo more fecero. *At videat Adversarius, ne cogatur audire illud:* Qui fallit in manifestis, non meretur fidem in obscuris. *Et tantum de Prima Controversia Quæstionis Primæ, quam concludimus hisce D. Mentzeri verbis, In Exeg. Aug. Confess.*
pag. 432. Prædicantum nomine nihil potest dici dignius, honestius & gloriosius: cùm ipse Dei filius in Paradiso Evangelium prædicaverit, & Patriarchæ, & Prophetæ, & Johannes Baptista, & Deus in carne manifestatus, ipsiusq; Apostoli & discipuli. Honorificum igitur illud nomen non aversamur, sed magnifacimus, certò persuasi, unum prædicantem verum, fidelem & diligentem longè Deo esse gratiorem & Ecclesiæ Christi utiliorem mille Missificantibus. Quod ipsum etiam Misificantium nomen scripturæ divinæ ignotum est: officium verò neq; à Spiritu sancto præscriptum, neq; à Christo, vel Prophetis vel Apostolis unquam usurpatum legitur.

ALTERUM, *quod* Peius *habet Adversarium, est; Quia Lojolitas voco Esauitas. Hinc talis exsurgit quæstio:* An Loiolitæ possint vocari Esauitæ? *Negat Apostata, affirmo*

affirmo ego, ideoq́; mihi affirmanti probatio incumbit. Ubi *miror, quod Adversarius ita in me invehat, quasi primus ego nomen hoc Lojolitis imposuerim, cùm tamen probè sciat, jam dudum ante me ab aliis hoc nomine Gregales suos vocatos fuisse. Sed ad rem. Disputat Scaliger l.3. de causis L.L.c.67: utrum nomina sint* φύσει, *id est, naturâ, an verò* θέσει, *id est, arbitrio Inventoris? Nos dicimus, nomen hoc, Esauitæ, Lojolitis non tàm* θέσει, *quàm* φύσει *competere, idq́; probamus:*

1. A Notatione nominis, *unde ita argumentamur:*

Cuicunq́; competit eadem nominis Notatio, ei etiam idem nomen.

Atqui Lojolitis competit Notatio nominis Esau.

E. & ipsum nomen Esau.

Minor probatur: Esau enim hebraicè Operarium, à radice Asah, id est, operatus fuit, significat, ut testantur omnes Lexicographi Hebræi, ipsemet etiam Pagninus. Jam quia Lojolitæ Operibus *salvari volunt, E. meritò Esauitæ, seu, Operarij vocantur.*

2. A Simili: *Quemadmodum Lojolitæ nos vocant* Fide-Solarios, *quia sola fide secundum Scripturam salvari volumus: ita vicissim eodem jure à nobis vocantur Esauitæ seu Operarij, quia, operibus contra Scripturam salvari cupiunt.*

3. A Natura & ingenio *Esavi, qui homo fuit truculentus, venator; qui persequebatur fratrem* Jacobum *usq́; ad necem, excruciabat patrem & matrem, ut testatur historia Sacra Genes.27. Hinc ita argumentamur:*

Quicunq́; conveniunt moribus & ingenio, illi conveniunt, & gaudere possunt eodem nomine, juxta illud Germanicum Proverbium: **Gleiche Brüder/gleiche Kappen.**

Conveniunt rebus nomina sæpe suis.

 Atqui

Atqui Lojolitæ moribus & ingenio conveniunt cum Esau.

E. & nomine cum eodem conveniunt.

Minor probatur: Quemadmodum enim Esau homo fuit truculentus, persequens parentes & fratrem: ita & Lojolitæ sunt truculenti persecutores Christi Patris (quē falsò jactitant) Matris, id est, Ecclesiæ veræ; Fratrum suorum, seu reliquorum Monachorum; & nostrorum, id est, verorum Ecclesiæ membrorum; quæ membra tanquam venatores, id est, crudelissimi tyranni ad necem & sanguinem usq; persequuntur: uti in controversia subsequenti fusius ostendemus. Desinant itaq; Lojolitæ odio habere nomen seu Definitum, cùm rem ipsam seu Definitionem teneant.

TERTIUM, *quod* Pessimè *habet Aristarchum, est, quia* Esauitas Prædantes, *seu* Prædones *nominarim. Hîc vel unicum postulat argumentum, quo probem Esauitas esse Prædones. Propono itaq; ipsi argumenta generalia hæc duo:*

Prius, *petitur à* Causa Efficiente Procreante:

Quicunq;, descendunt à milite Sanguinario & Prædone, illi sunt Prædones.

At Esauitæ descendunt à milite Sanguinario & Prædone.

E. Esauitæ sunt Prædones.

Major probatur maximâ Logicâ: qualis procreans, tale procreatum.

Minor inde: quia Esauitæ descendunt ab Ignatio Lojola, milite Hispano sanguinario & furioso, Prædone crudelissimo; de quo Bobadilla *unus ex primis Esauitarum fratribus fatetur,* eum fuisse hominem armis castrisq; assuetum, & tam truculenta animi ferocitate præditum, ut

quemvis

quemvis obvium, etiam caprinam ob lanam ſibi reſiſtentem, gladio vel haſta tranſverberare fuerit auſus. *Salmanaſſar Neapolitanus confitetur*; quòd fuerit natura ferox, ſævus, durus, truncculentus. *Hoffæus teſtatur*, Loiolam hunc ſuam plusquàm ferinam feritatem, etiam poſt inſtitutam Jeſuitarum ſectam, adeò non depoſuiſſe, ut nonnullos ſocietatis ſuæ fratres flagellis ita confecerit, ut præmatura morte interierint. *Videatur hiſtoria Jeſuitarum, c. 1. Quid ergo mirum, ſi ingenium hujus parentis Lojolæ repræſentent Filij Lojolitæ? Etenim* κακȣ̃ κόρακος κακὸν ᾠόν, *juxta Græcorum proverbium: & juxta Horatium:* *Lib. 4. carm. Od. 4.*

Eſt in iuvencis, eſt in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Nunq̄d colligũt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus? Nunquid mala arbor poteſt facere bonos fructus? *inquit Chriſtus. Matth. 7. Quare quemadmodum Chriſtus Judæos alloquitur:* Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideriis patris veſtri vultis obſequi; ille Homicida erat *Sic nos Lojolitas*: Vos ex patre Lojola eſtis; & deſideriis patris veſtri vultis obſequi; ille Homicida erat ab initio. *Johan. 8, 44*

Poſterius *argumentum petitur* ab effectu triplici, *hunc in modum:*

Quicunq; committunt. 1. Sacrilegium. 2. Furtum. 3. Homicidium: illi omni iure vocantur Prædones.

Atqui Lojolitæ tales ſunt.

E. omni jure vocantur Prædones.

Major vix negabitur à cordato, procedit enim à ſpecia-

bus ad Genus. Prædatio enim est rei alienæ abalienatio. Atqui Sacrilegium, Furtum, & Homicidium sunt abalienatio rei alienæ.

Minor ordine probatur:

Primum *Syllogismi membrum, quoad* SACRILEGIUM, *quod est quasi sacræ rei violatio, ita:*

Quicunq; Testamentum ipsum Sacrum, & Testamenti legata, legatariis surripiunt, illi Sacrilegium committunt.

Lojolitæ legatariis Testamentum Sacrum, ejusdemq; legata surripiunt.

E. Lojolitæ Sacrilegium committunt.

Minor probatur:

1. *Ratione* Testamenti Sacri, *quo nomine intelligitur tota Scriptura Sacra, quæ vocatur Testamentum V. & N. Testamentum hoc surripiunt Lojolitæ Laicis, dum illis adimunt potestatem legendi Scripturam Sacram, ut ex eorundem scriptis, & praxi quotidiana constat.*

Per Laicos autem intelligunt non tantum Plebem & Subditos, sed & Magistratum quemlibet Politicum: quos non solum vocant Seculares, *sed etiam* Canes, Porcos, & Putidos idiotas.

Hinc Hosius *de expresso Dei verbo tom. 1. pag. 640. scribit:* Laicis lectionem Scripturarum permittere, est sanctum dare Canibus, & margaritas ante Porcos projicere. Thomas Hardingius *art. 15. contra Ivellum f. 9. scribit:* Minimè consentaneum videtur, ut quisq; curiosus & putidus idiota biblia suo sermone legat.

Quod vero Laicis Scriptura sacra data & legata sit, inde probatur 1. Quia Christus omnes promiscuè Scripturam

sacram

Sacram scrutari jubet, Johan. 5, 39. 2. *Apostoli Epistolas suas scripserunt* integris *Ecclesiis, Rom.* 1. v. 7: Omnibus fratribus *sanctis*, 1. *Thess.* 5. v 27. 1. *Cor.* 1. v. 2. *Gal.* 1. v. 2. 1. *Petr.* 1. v. 1. *Etiam patribus, puerulis, adolescentibus*, 1. Joh. 2. v. 13. 14. *& seq. Imò omnis Scriptura divinitus inspirata est, ut perfectus sit* homo (*ubi quæro ex Esauita: utrum Laici sint homines, an verò pecora campi?*) *ad omne opus bonum*, 2 *Timoth.* 3. v. 16. 17. *Item, ut credat & credens vitam æternam habeat* Joh. 20. v. *ult. Hîc iterum quæro ex Lojolita*: U*trum soli Clerici credere & vitam æternam possidere debeant? haud opinor: obstat enim dictum Christi* Johan. 3. v. 16. OMNIS *qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Audiant itaq; Esauitæ, quid Patres Orthodoxi dicant: ita Theophilact. *supra 6. c. Ephes. inquit:* Si vis obedire filios tuos, instituе eos divinis sermonibus, neq; dices religiosorum tantummodò esse legere Scripturas: Cujuslibet enim Christiani est, eorum maximè qui in mundo versantur, quanto majore ipsi auxilio indigent, ceu in tempestate agentes. Chrysost. *in Matth. hom.* 2: Hoc, *inquit*, illud est, quod omnia quasi una peste corrumpit, quod lectionem (*arrige aures Apostata*) S. Scripturarum, ad solos Monachos putatis pertinere. *Item hom.* 9. *in Epist. ad Coloss.* Audite seculares Omnes, comparate vobis Biblia animæ pharmaca, si nihil aliud vultis, vel N. Test. acquirite. Hieron. *in c.* 3. *Coloss.* hic ostenditur, *ait*, verbum Christi non sufficienter, sed etiam abundanter Laicos habere debere, & docere se invicem vel monere. *Verè itaq; id de Esauitis dici potest, quod Christus de Pharisæis*: Væ vobis, qui clauditis Regnum cœlorum aliis, & ipsimet non intratis. *Matth. 23. v. 13.*

2. *Ratione Testamenti* Legatorum, *quæ principalia sunt Sacramenta, quibus gratia Divina omnibus credentibus confirmatur. Horum Sacramentorum præcipuum est* Cœna Dominica, *quam Esauitæ Laicis subtrahunt, dum unicam tantum speciem, uti vocant, illis porrigunt.*

Sacrilegium hic committi ab Esauitis, probo ita à minori ad majus:

Si ille est Sacrilegus, qui Continens, scilicet Calicem, furatur, multò magis ille erit Sacrilegus, qui Contentum, seu Sanguinem Christi surripit.

At Esauitæ Contentum surripiunt.

E. sunt Sacrilegi.

Ratio connexionis est, quia Contentum seu adjunctum (Sanguis Christi) longè præstantius est, suo continente, seu subjecto, scil. calice.

Antecedens verum est, etiam ex praxi Pontificiorum, qui illum vocant Sacrilegum einen Kelchdieb/ *qui suffuratur calicem. E. & Consequens.*

Nec est, quod excipiant hic Esauitæ; sub una nimirum specie tantum accipi, quantum sub utraq;. Præterquam enim quod hoc falsissimum: tamen etiamsi poneretur, nihilominus à Sacrilegio Esauitas non excusaret. Nam omnis ille Sacrilegus est, qui rem sacram & toti Ecclesiæ legatam rapit, quamvis aliam ejusdem, vel etiam majoris pretij substituat. Quapropter rectè statuit Papa Gelasius *Dist. 2. C. Comperimus:* Aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius ejusdemq; Mysterii sine GRANDI SACRILEGIO non potest provenire. *Sed errorem hunc Sacrilegum solidè refutarunt Chemnitius in Exam. Concil. Trid. Mentz. disp. 1[illegible]. Antipistoriana, quibus Esauitæ respondeant, si viri sunt.*

ALTERUM *Syllogiſmi membrum quoad* FURTUM, *ita probatur:*

Quicunq; furantur DEO *honorem; proximo obedientiam debitam, & bona fortunæ; illi meritò vocantur* Prædones.

Atqui Eſauitæ furantur DEO *honorem; proximo obedientiam debitam, & bona Fortunæ.*

E. meritò vocantur Prædones.

Major dubio caret. Minor probatur.

1. *DEO Eſauitæ furantur honorem invocando non Deum ſolum, uti Scriptura jubet Pſalm. 50. &c; ſed & Sanctos, præſertim Mariam, quam dicunt eſſe Mediatricem Salvationis, Juſtificationis, reconciliationis, interceſſionis, & noſtræ cum Deo conjunctionis, in Mariali & Roſario. Stapletonus l.6. de Juſtif. c.10. Gregor. de Valentia lib.3. de votis c.3. Bellar. libr. 2. de Monachis cap. 13:* hoc præceptum diligendi Deum ex tota mente, Doctrinale eſſe ajunt non obligatorium. *Franciſc. Tolet. l.4. de instruct. Sacerd. c.9, impiè ſcribit:* Quantum ad intentionem dilectionis, non tenemur præcepto Deum plus omnibus diligere; imò aliquando ferventius amamus res ſenſibiles & creaturas. *Bodin. c.5. Method. Hiſt. ſcribit:* D. Antonius à pleriſque in Italia & Gallia ardentiori voto, certè majori metu colitur, quàm Deus immortalis. *Sic Matrem Chriſti non modò Deo Patri adiungunt, ſed & Chriſto anteponunt, ut* Gregor. de Valent. *in fine lib. de Satisfact. ſcribit:* Laus Deo, & beatæ Mariæ Virgini, item Jeſu Chriſto. Bellarm. *librum tertium de Cultu Sanctorum ita concludit:* Laus Deo, Virginiq; Mariæ Matri, Deo item Jeſu Chriſto æterno Dei filio. *Alphonſus Salme-*

ron tom.10.tract.41.scribit: Maria stetit sub cruce, ut esset adjutrix liberationis & corredemptrix, quemadmodum Eva una cum Adamo malum invexit. *In* Marial. *l.1.c.2.fol.5. blasphemè scribitur:* Sicut nomen Jesu secundum Bernhardum, mel in ore, in aure melos, in corde jubilus; sic & nomen Mariæ, *& etiam amplius,* si dicere audeamus. Jesus enim quasi superbum nomen est, & nimium potens: nostros humilius nomen affectus decet. Unde si in Jesu aut Deitatis, aut sexus virilis austeritatem aliquis vereatur, recurrat ad Mariam, in qua nihil horum est suspectum. Maria enim nomen muliebre est, masuetudinem præferens & commendans. *Item lib.2.par.1.Caus.21.* Si quos filii iustitia damnat, Matris misericordia liberat. *Ibid. Caus.24.* Si Maria pro nobis, quis contra nos? ipsa est, quæ iustificat, quis est, qui condemnet? *Osorius tom. 5. Conc.p.153.* Cui comparabo te Maria vel assimulabo? non Evæ, non Saræ, non Rebeccæ, non Racheli, non Estheri, non Lunæ, non Soli: cui ergo comparabimus te? *Planè* Deo, omnia continenti. Vega *in 12. Apocalyp.* Maria constituta est super omnem creaturam, & quicunque Jesu curvat genu, Matri quoque pronus supplicat: & Filii gloriam cum Matre non tàm communem iudico, quàm *eandem*. *Refer huc Psalterium Mariale totum, quod habet Chemnitius in exam. Concil. Trident. part.3. Non iam attingam, quomodo Esauitæ ex Deo Veraci faciunt mendacem, suâ dubitatione, iuxta illud 1.Joh. 1.v.10.* Quicunque non credit Deo, mendacem facit eum. *Errorem hunc crassum, subtiliter refutavit Mentzerus disput.5. Antipist.thes.249. & aliquot sequent. cui respondeant*

deant Esauitæ si possunt. Saltem adduco blasphema Gregorii de Valent. *verba, quæ habet in analysi sua p.343. ita scribens:* non satis constare videtur, omne illud esse infallibile, quod divinitus est dictatum. Quia videtur Deus non semel falsum per se aut per alium dixisse. *An non hoc sit furari DEO honorem,* (Rechte Ehrendieb) *judicet, qui judicare potest.*

2. Proximo tùm honorem & obedientiam debitam, tùm possessiones & bona fortunæ detrahunt. Honorem Magistratui, *dum subditos armant contra Magistratum, illisq́ persuadent, denegandũ esse auxiliũ Principi, nec edictis ejus obediendum, si Synagoga Romana ad propagationẽ Apostasiæ & Tyranidis suæ illud conducere judicet: Qua ex hypothesi gravissimæ rebelliones & funestissima bella sæpissimè exorta sunt.* Subditis *detrahunt honorem debitum, dum docent liberos etiam contra consensum Parentum posse suscipere vota Monastica: de qua ἀςοργίᾳ vide Histor. Jesuiticam c.5. Bona Fortunæ seu possessiones quomodo alijs, etiam proprij ordinis fratribus majori fraude, quam laude subtrahant, ostendi in oratione de Animali Jesuitico, Pag.14,15.*

Tertium *in syllogismi membrum, quoad* Homicidium *probamus ita:*

Quicunq; ad necem sæviunt, & Tyrannidem exercent tum in aliena tum in propria corpora, illi Homicidium committunt.

Atqui Esauitæ ad necem sæviunt & tum in aliena tum in propria corpora Tyranni dem exercent.

E. Homicidium committunt.

Minor probatur 1. Quoad Corpora Aliena. Esauitarum enim Maxima hæc est: Hæreticum hominem occide,

ure,ſeca,tolle,crucifige. *Hanc Maximam ſtabiliunt tùm Conſilijs & Intentione; tum ipſo Facto & Exſecutione*. Conſilia *illorum crudeliſſima & Sanguinaria paſſim leguntur in ſcriptis eorundem. Bellar. l. 3. de Laicis c. 21. ſic ſcribit* : nos oſtendemus hæreticos (*qui illis ſunt omnes, quicunq; non doctrinam Pontificis exoſculantur*) incorrigibiles,ac præſertim relapſos,poſſe ac debere ab Eccleſia reiici, & à ſecularibus poteſtatibus,temporalibus pœnis, atq; ipſa etiam morte mulctari. *Greg. de Valent. tom. 3. diſp. 1. multis argumentis probare conatur Hæreticos eſſe trucidandos.* Burchardus *autor Autonomiæ paſſim Lutheranos & hæreticos non* obſtante pace Religionis, quovis modo tollendos eſſe, principib⁹ ſuaſor eſt. *VVindeck in Prognos. fol. 117. 232. 249. 408.* hæreticos uſtionibus, ſectionibus, bellorum vi & impetu ſine mora opprimendos & exſcindēdos *eſſe ſuadet; tum exempla adducit Hiſpanicæ crudelitatis in Hæreticos, quæ ſummoperè commendat, & Chriſtianos Principes exhortatur, ut illorum veſtigiis inſiſtant.* **Majerhoff** *in Speculo* Prædicantium, *conſenſum omnium Doctorū Pontificiorum allegat, atq;* inſtar articuli fidei *haberi ait in Romana Eccleſia pronunciatum illud: Hæreticos eſſe occidendos.* J*eſuitæ de juſta Hen. 3. abdic. l. 4. c. 3*: *Catholici contra excommunicatos hæreticos procedere debent ſicut* P*hinees (Num. 25) contra Iſraelitam & Madianitidem meretricem. Sicut Ajod Ejod Eglonem regem Moabitarum pugione in ventrem confixo peremit.* J*eſuit. Mariana de Reg. l. 1. c. 6. Sicut* J*udith Holofernem,* J*ahel Siſaram &c. Apolog.* J*es. & Caſtel. par. 5. c. 1. 2.*

Argentorati anno 1610. typis Anthonij Bertram exſcriptus eſt hic tractatus: Arreſt **oder Endvrtheil/ des Königli-**

chen

chen Parlaments zu Pariß / wider das Buch Johannis Marianæ eines Jesuiten / welches den 29. Maii / altes Calenders / 1610. durch den Scharpffrichter / vor der Thumbkirchen daselbsten / offentlich verbrant worden / beneben hochermelten Parlaments vrtheil / wider den Königsmörder Franciscum Ravilac &c. Pag. 23. hujus tractatus hæc leguntur verba:

Weil diser Königsmörder in seiner aussag bekant / das er zu diser Mordthat auch durch gelesene Bücher veranleitet worden: So werden etliche derselben Bücher päß vnd beweisungen / von solcher vnchristlichen / abschewlichen / teuflischen mordlehr / vnd deren übungen / allhie nachgesetzt.

Als erstlich / hat der Spanisch Jesuit Pater Johannes Mariana (so zuvor etliche Jahr zu Pariß Theologiam gelehret) drey büchlein de Rege & Regis institutione, im jar 1599. zu Toleto / mit der Inquisition Provincialis / dann auch mit der Jesuiten Generalis Claudij Aquavivæ, vñ derselben Visitatoris belieben vnd gutheissen / trucken vnnd außgeben lassen / neben disem jren beygesetztem zeugniß / das solch Buch allbereit von gelehrten ansehnlichen Männern ihres Jesuitischen ordens ersehen vnd gut befunden worden. Dabey dann auch sonderlich gedachter Provincial eiferig ermahnet hat / Daß man nach solcher Marianæ Lehr sich richten solle / vnd als dann vnzweiflicher grosser / ja vnsäglicher nutzen erfolgen werde. In desselben Marianæ erstem Buch befindet sich / nach dem im fünfften Capitel / fromme Könige vnd böse oder Tyrannen vnderschieden worden / daß darauff erstlich die summ deß sechsten Capitels also gesetzt worden: Ob es recht sey / einen tyrannischen König oder Fürsten vmbzubringen? Vnd bald darnach wirdt gut geheissen vnnd hochgerümbt / das König Heinrich der Dritt / durch den Mönch Jacobum Clementem mit einem vergifften Messer erstochen worden / sampt vermeinter außführung / daß gleicher gestalt andere Könige vñ Fürsten von ihren Vnderthanen erstochen / oder

sonsten vmbgebracht werden mögen/wann nur der Thäter sich zuvor bey Theologis, viris eruditis & gravibus, (als die Jesuiten sich selbsten tituliren) rahts darüber sich erholt hat / ob sein König oder Fürst für einen Tyrannen zu halten? vnd dieselbe Theologi ja darzu gesagt haben werden: Daß auch eben solche rhatspflegung von gedachtem Mönch Clemente vor seiner thaat beschehen sey. Dabey auch diser anhang ist: Alsdann werde es in der Welt recht vnd wol ergehen/ wann man deren hertzhafften Leuth viel finden werde/die sich zu solchen thaaten ermuntern vnd gebrauchen lassen werden.

Vnd im 7. Capitel lehret er Mariana ferner: Das auch durch gifft solche Könige vnd Fürsten von ihren Vnderthanen/ Dienern vnd andern/hingerichtet werden mögen: vnd daß diser weg verschlagener/ vnd mit weniger gefahr gebraucht werden könne.

Hiebey ist auch wol in acht zunemmen/daß/nach dem bemeldt Marianæ Buch/im Jahr 1599. zu Toleto in Hispanien mit deß Königs Philippi III. privilegio also versehen vnd getruckt worden/ das es innerhalb 10. Jaren/ohne Marianæ bewilligung/anderwerts nicht nachgetruckt werden sollen/jedoch die Jesuiten zu Meintz/etlich Jar vor außgang solcher 10. Jar/ dasselbig zu gedachtem Meintz/ mit fürgeben eines Käyserlichen Privilegij/ damit nemlich solche Lehr / als der Jesuiten fürhaben sehr dienlich/ bald auch in Teutschland / vnd sonsten weiter außgebreytet / vnd den Jesuitischen discipeln zeitlich eingebildet werde.

Vnd hierdurch (sagt Mariana) werden bey Königen vnd Fürsten/ die heylsame Gedancken vnd fürsorg verursacht/ daß sie sich allezeit dermassen nach der Theologorum, virorũ eruditorum & gravium, gefallen verhalten / vnd in stätigen forchten bleiben müssen / daß man sonst mit lob vnd ruhm sie vmbbringen könne.

Alsdann auch der Jesuit Sanderus, im buch de Monarchia visibili, gleichfals gelehret/das man Könige vnd Fürsten

in forcht

in forcht vnd sorgen halten müsse/damit nemlich dieselben auß solcher forcht alles das jenige thun/ was den Jesuiten vnd ihres gleichen gefällig ist/auch alles vnderlassen/was denselben zu wider sein möchte.

Vnd noch in newlichkeit hat der Meintzisch Jesuit Martinus Becanus obgesetzte Johannis Marianæ Mordlehr starck vertheydiget/ vnd das solche aller Jesuiten Lehr vnd meynung sey/fürgeben: das auch der jenige König/Chur: oder Fürst für einen mordwürdigen Tyrannen gehalten werden soll/ welcher ob er wol rechtmäßig zur Cron oder Fürstenthumbs erbfolg kommen/jedoch mit vnbefügten schatzungen seine Vnderthanen beschwäret/die Richterliche ämpter verkaufft/vnd seinem vortheil Gesetz vnd ordnungen macht. Wer nun durch solche Jesuitische lehren gefahret/ vnd von ihnen für mordwürdig gehalten werde/das hat ein jeder rechter Christ vnschwer zu ermessen.

Fürs ander/ist ein gantz büchlein/ von deß Königs in Franckreich Henrici III. abschaffung (de abdicatione Henrici III.) in währender Ligâ Anno 1591. zu Lyon durch Johann Pillehotte/der Ligæ Buchtruckern/mit fürgesetztem der Jesuiten wapen oder zeichen/vnd (ex præcepto superiorum) auß befehl ihrer obern/getruckt worden/darinn gedachter König beschuldigt wird/das er ein wüster Tyrann sey/ vnd daß löblich/ vnd recht geschehen werde/ wenn derselb vnd seines gleichen Könige vnd Fürsten/von einem oder mehr Vnderthanen oder Dienern vnerwartet einiger special Excommunication oder befelchs/entleibt werde/vnd daß der oder die jenige/welche solches That verrichten/grossen ruhm vnd den Himmel verdienen/ auch dem gemeinen wesen grossen nutzen/frewd vnd frolocken schaffen würden. Item/wir wöllen nicht auffhören/alle hülff vnd mittel zu suchen/wie wir diesen König/vnd die jenige/so ihme beyfällig seyn/außroten mögen.

Vnd als eben bey außfertigung desselben trucks gedachten König Henricus III. von dem Mönch Jacobo Clemente erstochen worden/vnd König Henricus IV. demselben in der

Cron vnd Succession gefolget/ist noch vor dasselbige Büchlein eine gefährliche Mörderische Vorred/dann auch hinden ein Teuffelischer anhang/ nachgesetzt worden: daß man der allbereit beschehenen Entleibung vngeacht/nur mehr darvmb mit außbreittung solcher Lehr vnd Büchleins verfahre/ daß man wissen soll/was man von König Henrichen deß III. Entleibung außgeführt/wie man nemblich denselben billich abschaffen vnd vmbbringen soll vnd möge/ nunmehr solches auch dahin verstanden werde/ daß sein nachkomm Henricus IV. gleichfals abgeschafft vnd vmbbracht werden soll: vnd derwegen die jenige/so sich diesem Henrico IV. anhängig machen/ durch das erschröckliche Exempel deß hingerichten Henrici III. sich warnen lassen sollen/ vnd nicht in jhr selbst verderben/ so sie nach deß IV. Entleibung zu gewarten/eynlauffen: weil es nemblich an dem/ daß die Cron à gente in gentem (das ist/ von Franckreich auff Spanien) verzuckt werden soll.

Zum dritten/ vnd gleichs schlags vnd Werckmeisters Arbeit/ist das Jesuitisch/ vnder dem Namen Francois de Verone Constantin getrucktes Buch/dessen Titul ist: Apologie prour Jean Chastel Parisien, & pour les peres de la societè de Jesus: das ist/Entschuldigung Johan Chastels vnd der Jesuiten. Welches Buch die Jesuiten/ nach dem sie auß Franckreich verwiesen gewesen/ in den Niderlanden gemacht vnd drucken haben lassen: darinn/ von anfang biß zu end/ jhres discipulis Johan Chastels fürnemen/das er offt gesagten König Henrichen den IV. zu erstechen vnderstanden/ als gantz löblich/ heroisch oder heldisch/ vnd rechtmeßig (wie nicht weniger deß vorigen Königs Henrichen des III. Mord) verantwortet/ ja gut geheissen vnd gerühmet/auch er Chastel zu einem H. Märtyrer erhaben worden. Vnd will also (wie des Buchs Titul außweiset/& pour les peres de la societè de Jesus) diese der Jesuiten Mordlehr/als gut vnd löblich/behaubtet werden.

Zum vierdten/ Also auch deß Jesuiten Reinaldi Buch/ de justa Reipub. Christianæ in reges impios & hæreticos autoritate, justissimaq; Catholicorum confœderatione, ad re-

pellendum

pellendum Heinricum Navarræum à Regno: welches vnter dem Namen Gulielmi Rossæi außgangen.

Zum fünfften/ Deßgleichen auch deß Jesuiten Cresvveis Buch/ so vnter dem Namen Philopater außgangen: welche Bücher alle mit dem Jesuiten Mariana einstimmig sind.

Zum sechsten/ Vnd weiß man sich noch wol zu erinnern/ ist auch auß den Gerichtlichen actis offenbar/ daß/ nach dem auff solche vnderweisung der Jesuitisch discipul Johan Chastel den König Henricum IV. mit einem Messer zu erstechen vnderstanden/ aber deß Königs Gurgel gefehlet/ vnd der stich an einem außgestochenen Zahn sich gestossen/ damals auff Rechtliche erkantnuß der Jesuiten Collegium zu Pariß ersucht/ kundschafft eingezogen worden/ vnd sich nicht allein befunden/ daß sein Chastels Schulmeister/ der Jesuit Johan Gueret, obbemeldte gefährliche Lehr in der Schulen geführet/ vnd deßwegen deß Königreichs Franckreich ewiglich verwiesen: (wie dann dergleichen vrtheil damals auch wider einen andern Jesuiten/ Alexander Haius, ergangen vnd vollzogen worden) sonder es sind auch daselbsten bey dem Jesuiten Johan. Guignard solcher Bücher gefunden worden/ welche er Guignard selbst angestellt/ vnd darinn lehren wöllen/ daß er an König Heinrich dem III. begangener Mord rechtmeßig vnd löblich seye/ vnd daß der nach folgend Henricus IV. gleichfals vmbbracht/ vnd nicht geduldet werden solt. Darbey auch etliche abschewliche/ von jhme Guignard angestellte vnd geschriebene Satzstück sich befunden. Als: Daß im Hochzeitlichen Parisischen Mord/ auff Bartholomei Anno 1572. man dieses Henrici IV nicht hette verschonen/ sondern jhme die Lebensadern/ wie andern/ damals abhawen sollen.

Item/ daß man der Königin in Engelland/ als einer Wolffszatzen/ deß Königs in Schweden/ als eines Greiffens/ vnd deß Sachsen/ als einer Saw/ gleichfals nit schonen sonder auch zu deren entleibung dapffere Leut ermunteren solt.

Item/ was der Mönch Clemens an König Heinrichen dem

dem III. begangen/ das jhme solches von dem H. Geist (von dem Höllischen geist der von anfang ein Mörder vnd Lügner) eyngeben worden: vnd daß dieses der Jesuiten meynung vnd Lehr sey.

Item/ daß die Cron auß dem Bourbonischen geschlecht in ein anders verruckt werden soll.

Item / wann man miltiglich mit Henrico IV. verfahren wolt/ daß man doch jhne in ein Closter einsperren/ vnd an statt der Königlichen Cron jhn mit einer Mönchsplatten beschären solt.

Item/ da man jhne ohne Krigsgewalt nicht absetzen könt/ das man jhne bekrigen/ oder doch verschlagener dückischer weise vmbbringen solt.

Welches alles die Jesuiten in jrer Apologia pro Johanne Chastel & pro societate Jesu, par. 5. c. 10. behaupten wöllen, daß es Christliche gute lehren vnd (pure verite Catholiq;) die reine Catholische Warheit sey.

Aber derselbigen abschewlichen Teuflischen Lehr vnd Bücher halben ist er Jesuit Johand Guianad/ auff den 7. Januarij/ Anno 1595 durch das Königliche Parlament zu Paris zum Strang / vnd daß sein todter Leib zu Äschen verbrant werden solt / verdampt/ vnd also offentlich vollzogen worden. Vngeacht daß die Jesuiten dafür halten wöllen/ das die Weltliche Obrigkeit / die Jesuiten / als Geistliche Personen/ in keinen weg zu straffen habe / weil (wie sie fürgeben) geschrieben stehet: Ihr solt meine Gesalbte (das ist / Mönch vnd Pfaffen) nicht anrühren. Psalm. 104.

Daher dann auch gar recht vnd wol zugleich in gedachtem Parlament die Jesuiten mit Rechtlicher erkantnuß beschuldigt worden/ das sie seyen corruptores juventutis, item homines pestiferæ & perniciosissimæ factionis Hispanicæ, & qui nuper abominandis sceleribus pietatis nomen obtendentes populariter docuerunt, Vnctos Domini, vivas Majestatis eius Imagines, occidere. Item: Esse hominum genus novæ ac maleficæ superstitionis, qui Rempub. turbant, quorum instinctu

piacularis

piacularis adolescens dirum facinus instituerat.

Dabey auch dises wol in acht zunemen / das vngeacht er Jesuit Guinard mit obgemeldter abschewlicher Lehr vnd Büchern seine mit vrtheil erkandte straff hoch vnd überflüßig verdienet /jedoch die Jesuiten noch vor zweyen jahren / zu bezeugung/daß sie dise teufflische mordlehr vnd deren brauch fortsetzen wöllen / jhne Guignard in die zahl jhrer fürgebenen Märtyrer mit einem lorbeernkrantz gezieret/gesetzt vnd drucken haben lassen/vnd damit einfeltige leuth / vnd die zarte jugend/ wie sie bald vnd leichtlich nit allein in himmel / sondern auch in die zahl der löblichen Märtyrer kommen werden / bereden wöllen. Dahero nun dise frucht vnd würckung erfolgt / vnd dergleichen noch ferner zu gewarten ist / wann solche Lehrer vnd lehren in der Christenheit länger geduldet werden: welches aber für deß Herren Christi gerechtem Richterstul Christlichen Obrigkeyten nit zuverantworten sein wirt.

7. Also hat zuvor der Jesuitisch Rector zu Lyon Varade, im Jar 1593. Peter Barrieren angestifftet/ja auch mit Sacramenten verpflichtet vnd beschoworen / (Catech. Jesuit. f. 118. & seqq.) das er König Heinrichen den Vierdten vmbbringen solt. Welches fürhaben durch Gottes schickung entdeckt / vnd darüber er Barriere zu Melun in Franckreich vom leben zum tod hingerichtet worden ist.

8. In Engelland sind also vnderricht vnd bestelt worden/ Lopez der Artzney / vnd Parri der Rechten Doctor / also auch Eduard Squirre, das sie die hochlöbliche Königin daselbsten/ Elisabetham, verrätherisch vmbbringen solten. Deren aller fürnemmen aber durch Gottes schickung offenbar / vnd sie die Bößwichter jhrem verdienst nach gestrafft worden.

9. Es sind auch die Jesuiten/ Henrich Garnet, Girard Tesmond, vnd andere deren Socii, die rechte Rädlins führer, in dem zu Londen Anno 1605 angesteltem teufflischen Pulverwerck gewesen/ mit welchen man den König vnd Königin groß Britannien / samt jren ältisten jungen Herren/vnd allen fürnemen Ständen desselben Reichs/ in einem augenblick vertilgen wöl-

len: wie dann solches auß der gedruckten Action in Henricum Garnetum Jesuitam, erscheinet. Welchen actis vnd darauff ergangener rechtlicher erkantnuß mehr zu glauben / als den Jesuiten / welche auß solchen Königsmördern heylige Märtyrer machen wöllen / vnd welchen das æquivociren vnd liegen gar gemein ist: bey denen auch dise æquivocation lehr bräuchlich vnd gut sein muß: Si fecisti, nega.

Ebenmäßig ist auch in Anno 1583. Balthasar Gerard Burgunder / von den Jesuiten zu Trier verstifftet vnnd angehetzet worden / das er verrätherischer weise / bey Printz Wilhelm zu Vranien sich eingeschleifft / vnd denselben erschossen hat.

CAVETE VOBIS PRINCIPES!

Der Jesuit Campianus in seinem schreiben / so er an der Königin in Engelland Räthe abgehen / vnd die Jesuiten Anno 1583. zu Trier haben drucken lassen / pag. 22. schreibt also: Ihr solt eben wissen / das wir Jesuiten nunmehr in grosser anzahl / vnd durch die gantze welt außgebreitet sein / vnd daß wir in vnserem fürnemen vns alle verpflichtet vnd verbunden haben / nit nach zu lassen / so lang vnser einiger überbleiben wird / vnd daß wirs allbereit darauff gestellt haben.

Die Jesuitisch Creatur Johann Paulus Windeck / de Ruitura hæresi, so zu Cöln im Jahr nach Christi geburt 1603. gedruckt worden / in der Vorrede: Alle Ketzer (grosse vnd kleine) sollen das wissen / ob es jhnen gleich in den augen wehe thut / das vns an vilen mittlen / die Ketzer vmb zubringen vnd auß zurotten / mit nichten ermangelt: das auch sie der hiebevor in Teutschland auffgerichte Religionsfrid / darwider nicht schützen noch helffen wird / weil der nur auff ein zeitlang eine Tolerantia vnd gedultig nachsehen gewesen / nunmehr aber vnd vorlangst / durch publicierung deß Tridentinischen Concilij / gäntzlich verfallen vnd verloschen sey.

Vnd der Jesuit Petr. Ribadeneira in seinem buch Principe, lib. 1. cap. 16. Man soll den Religionisfriden mit nichten gestatten / vnd dise vngleichheit soll man länger nicht gedulden.

Simancha

Simancha Pacensis, de Cathol. Instit. capit 46. n. 52. Es sey nicht möglich/ das ein rechter frid mit Lutheranern gehalten werd: vnd solches sey nun offt gelehrt vnd errinnert worden/ mã müsse auch mit solcher lehr vnd vermahnung nicht auffhören/ sonder so lang die widerholen vnd beharren/ so lang jemand noch überbleiben wird/ welcher auff dergleichen Religions friden sich beruffen wolt.

In obgemeldter der Jesuiten Apologia par. 2. c. 3. vnd 7. wird gelehrt/ das die Könige vnd Fürsten/ welche von den Jesuiten für Ketzer gehalten werden/ eben wie der König Ozias/ seines aussatz wegen/ deß Reichs Juda entsetzt/ also auch dise jhrer ketzerey wegen als die schädlicher sey dann der aussatz/ jhrer angeerbten Reich vnd Fürstenthumb beraubt: ja das mehr ist/ auch in gleichem/ wie andere ketzer geringers stands/ vom leben zum todt hingericht werden soll.

Hanoviæ *apud Thomam* **Willier** *Anno* 1611. *prodierunt varij de hac materia tractatus, qui ita inscribuntur:* **Von der Jesuiten/ wider König vnd Fürstliche Personen abschewliche/ hochgefährliche Practiken/ Anschlägen vnd Thaten:** *qui velit legat. Videatur etiam oratio Antonij Arnoldi contra Jesuitas, quam ex Gallico idiomate in Latinum sermonem convertit Franciscus Junius tom. 2.*

Exsecutionem *horum consiliorum sanguinolentorum plurimæ regiones maximo cum damno expertæ sunt. Hispania, Lusitania, Gallia, Anglia. Scotia, Suetia, Collonia, Noscovia, Belgium, Transylvania, Bohemia, Austria, & cum primis Laniena Parisiensis, in qua multa millia hominum occubuerunt Religionis causa, uti prolixè cum omnibus circumstantijs Lanienam hanc describit ipsemet Pontificius Thuanus in Anno 1572. Hinc non incommodè dixit, quicunque dixit:*

Seductor Sueco; Gallo Sicarius; Anglo
Proditor; Imperio Explorator; Davus Ibero;
Italo Adulator; Dixi teres ore Suitam.

2. *Fiunt Homicidæ in propria corpora, dum flagellationes ad necem usq;, & sic* αὐτοφονίαν *suis suadent, uti prolixè furorem hunc refutat Zeæmannus in Carnificina Esauitica.*

Atq; hæc sit Apologia Quæstionis Primæ Theologicæ, ubi tria probavimus, 1. *Lojolitas nostros Ecclesiæ Doctores ignominiosè* Prædicantes *vocare.* 2. *Eosdem verè nominari* Esauitas. 3. *Nec alienos esse à nomine* Prædonis. *Hinc jam fiat judicium:* utrum verè Jesuitæ nominari queant? *Et nullus veritatis studiosus id affirmabit, cum Esauitæ opera faciant (ut ostendimus) non* Christi, *sed* Antichristi, *nimirum Diaboli, cumq; perpetuum gerant bellum cum Christo, & quod Christus in suo verbo affirmat, illi negent, quod vero negat, illi afirment, uti nullo negotio demonstrari posset, nisi nimis prolixum foret. Sufficiat brevis hæc Jesu & Jesuitarum collatio.*

JESUS.	JESUITA.
Ego sum via, & Veritas, & vita Ioh.14.v.16. *Non est Deus quasi homo ut mentiatur. Num.23.19.*	*Deus non semel Falsum per se, aut per alium dixisse videtur. Gregor. de Valent. pag. 343. Analys.*
Sermo, quem locutus sum Judicabit vos. Joh.12.48.	*Scriptura non est judex Controversiarum. Colloq. Ratisbo. Sess. 8.9.*
Oves meæ vocem meam audiunt, Joh.10.27. *Si quis diligit me Sermonem meum servabit, Joh.14.v.23.*	*Asinam fuisse locutam legimus in Scriptura, ipsam vero aliquando locutam fuisse Scripturam, nusquam legimus. Vit. Milet. in discus. errorum pag.18.*

Scriptura

JESUS.	JESUITA.
Non vos loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis, Math. 10. 20.	*Scriptura sacra est litera mortua, Coster. c. 1. de Script. 5. p. 44.*
Scrutamini scripturas quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Joh. 5. 39.	*Consulendum est Laicis, ut à Bibliorum lectione abstineant; est enim non modo non necessaria, verum etiam exitiosa eiusmodi curiositas. Staphylus c. 1. Apolo. pag. 68. 69. Coster. c. 1. p. 54.*
Spiritus S. ducet vos (Apostolos) in omnem veritatem. Ioh. 17. 13.	*Apostoli potuerunt labi memoria & mentiri Pigki. l. 1. Hierar. c. 2.*
Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Math. 28. 18.	*Christo communicata saltem potentia, non omnipotentia, Gretz. in Labyr. Cret. Hunn. p. 56.*
Dominum Deum tuum adorabis & illi Soli servies. Math. 4. 10. *Venite ad me omnes, qui laboratis. Math. 11. 28.*	*Creaturæ excellentiores honorandæ, quædam etiam invocandæ. Bella. Greg. de Valen. Coster. & alij.*
Omnis qui credit, non perit, sed habet vitam æternam. Ioh. 3. 15. *Noli timere, solũ Crede. Marc. 5. 36.*	*Fides sola non satis est ad iustificationem. Bellarm. l. 1. de justif. c. 1. Cost. in Enchr.*
Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus: & qui amat filium, aut filiam super me non est me dignus. Math. 10. 37.	*Non tenemur præcepto Deum plus omnibus diligere. Tolet. l. 4. de instruct. Sacerd. c. 9.*
Baptizate in nomine Patris, Filij & Spiritus S. Math. 28. 19.	*Baptismus est legitimus, si quis baptizet in nomine Trinitatis & B. Virginis. Nov. Sacerd. l. p. 2. 15.*
Bibite ex hoc Omnes. Matth. 26. 27.	*Bibite non omnes, sed soli Clerici. Bella. l. 4. de Euchar. c. 20. & seq. Costr. c. 10.*

Psal.10.v.26. *Vere itaq; quadratin Esauitas illud Davidis:* Peccatori, dixit Deus, quare tu enarras justitias meas & assumis nomen meum per os tuum? Quæ enim socie-
2.Corinth.6. v.14. tas Christo cum Belial? *Nec est novum hoc Jesu Christi nomine aucupium, sed etiam veteribus hæreticis usitatum.*
c.13.v.6. *In Actus Apost. legimus, quod etiam inter Judæos fuerit quidam Magus Pseudo-Propheta, qui sese appellarit Bar-jehu. i.e. filium* JEHOVÆ. *Sic apud Theodoretum Dialogo. 1. Orthodoxus Eranisten ita affatur:* Quantum video, cum valetudine & Marcionis & Manetis sodalibus nobis certamen institutum est: Eranistes autem ægerrimè ferens se id, quod erat (erat *enim Valentinianus*) nominari, continuo respondit: Maledicere & calumniari à Christianis alienum est. *Sed quemadmodum hic Eranistes* Christianus *erat* κατ' ἀντίφρασιν; *Esauitæ* Jesu Christi *nomen nullo alio, nisi* ἀντιφράσεως *titulo sibi usurpant; in quos non malè congruit illud, quod de Valente Ariano Nazianzenus orat. in laudem Basilij scriptum reliquit:* Christi nomen præ se ferens mentiebatur. *Vide oratio. de Jesuit Pharisaizan. pag. 3.*



QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA THEOLOGICA.

AN Lutherus Sacrilegium *commiserit, librum Judith, Maccabæor. Tobiæ, Sapient. &c. in Catalogum librorum S. Scripturæ Canonicorum, non recensendo? Neutiquam.*

APOLOGIA.



UTHERUS *non hos expunxit ac sustulit libros, ut calumniantur Esauitæ; sed reliquit in codice Biblico, imo idiomate Germanico donavit. Verum hoc fecit Lutherus, quod cum multis Ecclesiæ primitivæ Doctoribus discrimen constituerit inter libros Canonicos & Apocryphos. Hinc tamen non sequitur, ipsum propterea Sacrilegium commisisse, sed potius rectè fecisse. Hoc probamus tali syllogismo:*

Quicunque facit librorum Biblicorum discrimen 1. necessarium. 2. ab ipsa Scriptura demonstratum. 3. in primitiva Ecclesia diligenter observatum. 4. à Doctissimis Patribus vetustis; 5. & Concilijs; 6. & Recentioribus Doctoribus approbatum: 7. quodque sine infinitis absurditatibus negari non potest: is Sacrilegium non committit, sed potius rectè facit.

Illud fecit distinguendo Libros *Canonicos ab Apocryphis,* Lutherus.

E. Sacrilegium non commisit, sed potius recte fecit.

Proposito per se manifesta est: Assumptio ordine probanda.

1. Negabit nemo verũ & necessarium *esse discrimen librorũ illorum*

illorum, qui sine ulla contradictione à Deo sunt dictati & Ecclesiæ commendati; & eorum, quorum ignorantur autores, & fides dubia atq; incerta est, imo in quibus manifestò falsa aut contradictoria habentur. Non hic tempus libros istos singulos Apocryphos examinandi, attingemus saltem indice quasi digito quatuor in quæstione hac secunda à nobis allegatos.

Primus *horum est liber* JUDITH, *quem non esse Canonicum, probamus hoc syllogismo:*

Quicunq; liber è diametro pugnat cum historica Veritate; multa continet ἀσύςατα seu absurda, & caret primitivæ Ecclesiæ testimonio; ille non est Canonicus.

Talis est liber Judith.

E. non est Canonicus.

Proposito per se vera est.

Assumptio ad oculum demonstratur à D. Mentzero in Apologia primæ disputat. Antipist. à. pag. 186. ad 201.

Secundus *est liber duplex* MACCABÆORUM *continens multa ἀσύςατα. Inspice solũ librum secundum, & confer invenies aliquot apertissimas, adeoq; palpabiles cũ primo contradictiones. 1.* Maccab. *9, 3. & 18. occumbit Judas* Maccab. *anno Seleuci 152. 2. Maccab. 1. v. 10. idem scribit literas ad Aristobulum, anno 188. hoc est 36. anno ab obitu suo. 1.* Maccab. *4. v. 41. Judas purgat Sanctuarium, ante mortem Antiochi. 2. Maccab. 10. verò post ipsius obitum* II. *Maccab. 6. v. 16. dicitur Antiochus in Persia mortuus esse, mœrore. 1. vero Maccab. 1. v. 16. dicitur in templo Naneæ lapidibus obrutus, & membratim dissectus fuisse. Et rursus c. 9. v. 28. scribitur peregrè inter montes miserrimo mortis genere vitam finiisse. Ecce unus homo tribus diversis locis mortuus! Adde, quod autor illius*

lius libri veniam petit errorum, 2. Maccab. ult. v.39. & descripsit epitomen ex Jasone, de quo homine nobis nihil constat: nec ab ullo Propheta (qui tum nullus fuit) liber fuit approbatus. Omitto alia, in quibus vehementer sudat Bellarm. lib.1. de verbo Dei c.15. sed frustra, ut ostendit D, Hunnius in examine hujus Bellarm. capitis. Plura argumenta contra Canonem hujus libri petantur ex Apologia Mentzeri p.224. & seq.

Tertius *à nobis citatus liber Apocryphus est* TOBIAS. *Et hunc Apocryphum esse ita demonstramus:*

Quicunque liber est corruptus & depravatus, habetque multa pugnantia, tum cum stylo S. Scripturæ, tum cum ipsa Historica & Chronologica veritate, ille est Apocryphus.

Talis est liber Tobiæ. *E. est Apocryphus.*

Assumptio confirmatur à D. Mentze. à pag.178. ad 285. Apolog. antipist.

Quartus *à nobis citatus liber est SAPIENTIA. Et hunc librum non esse Canonicum probat Mentzer. p.207. Apolog. Antipis. Hunnius in Exami. Bellarm. lib.1. c.13.*

De reliquis libris Apocryphis, ut Syracid. Complement. Danielis, Baruch. idem judicium. Nam & hos extra Canonem esse Mentzerus in Apolog. Antipist. multis solide probat argumentis; ad quæ ubi Esauitæ responderint, et à nobis responsionem habebunt.

II. Discrimen illud ab ipsa Scriptura demonstratum esse, *inde patet.*

Illi V. Testamenti libri sunt Canonici, quos Christus & Apostoli approbarunt, & ex iis testimonia petierunt.

Libri V.T. Apocryphi nusquam approbati ſunt, neq; pro teſtibus allegati.

E. non ſunt Canonici.

Canonicos a. à Chriſto & Apoſtolis allegatos & approbatos eſſe, oſtendit Hunnius in exam: Bellarm. l. 1. c. 4. Adde, quod Apocryphi Græcè ſcripti ſunt, quâ linguâ nullus Canoincus liber V. Teſtamenti originaliter ſcriptus fuit. Hinc Hieron. *in prolog. Galeato teſtatur, libros V. Teſtamenti Canonicos omnes ſtylo Hebræo ſcriptos eſſe: verba ejus hæc ſunt;* Hic prologus Scripturarum quaſi Galeatum principium, omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum convenire poteſt: ut ſcire valeamus, quicquid extra hos eſt, inter Apocrypha eſſe ponendum. Idem *ad Suriam & Phretellum ſcribit:* Sicut in N.T. ſi quando apud Latinos quæſtio exoritur, & eſt inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci ſermonis, quo novum ſcriptum eſt Inſtrumentum; ita in V.T. ſi quando inter Græcos Latinosq; diverſitas eſt, ad Hebraicam recurrimus veritatem. *Item Epiſt. ad Vitalem,* ad Hæbream ſe veritatem, tanquam ad arcem confugere profitetur. Auguſtin. *l. 2 de D. C. c. 11. inquit:* Latinæ lingu*æ* homines, Hebr*aæ* & Gr*æcæ* lingu*æ* cognitione opus habent, ſi quam dubitationem attulerit Latinorũ interpretum infinita varietas. *Idem ibidem c. 12.* quis interpretum vera ſecutus ſit, niſi exemplaria *Linguæ* Pr*æ*cedentis legantur, incertum eſt. *Imò* jus canonicum *Decret. part. 1. diſtin. 76. C jejunium, expreſſe ſcribit:* Cogimur ad H*æ*br*æ*os recurrere, & ſcienter veritatem de Fonte magis quam de Rivulis qu*æ*rere. *Ubi diligenter obſervandum, quod gloſſa marginalis*

nalis ibidem addit: collige, in dubiis ad rei originem recurrendum, & plus Magiſtro, quam diſcipulo credendum. *Sic Decret. par. 1. diſtin. 9. C.* Ut *Veterum, hæc leguntur verba:* ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda eſt: ita Novorum veritas Græci Sermonis normam deſiderat. U*bi iterum obſerva Gloſſam quæ hæc eſt:* quantumcunq; authenticum ſit aliquid, ſi tamen de ipſo indubium aliquid revocetur, ſemper exhibendum eſt illud, à quo origiginem ducit. *His accedit, quod ipſimet Eſauitæ provocent ad* Fontes Hebræos. *Tanner. in Colloq. Ratisb. Seſſ. 12.*

III. Fuit etiam diſcrimen hoc diligenter à primitiva Eccleſia obſervatum, *cui publice conſtabat, Judæos in Canone V. Teſtamenti eos tantum libros habuiſſe, qui Hebraice ſcripti fuerunt, non plures, non pauciores, de qua re vide Joſephum l 1. contra Appionem. Euſebium l. 4. Hiſt. Eccleſ. c. 8. 25. 26. Hieron. in prolog. Galea.*

IV. Et à Doctiſſimis quibusve Patribus Vetuſtis, Origine, Euſebio l. 4. c. 25. & l. 6. c. 25. Cypriano in Symb. ubi inter cætera inquit: Sciendum eſt, quod & alii libri ſunt, qui non Canonici, ſed Eccleſiaſtici à Majoribus appellati ſunt, ut Sapientia, Eccleſiaſticus, Judith, Tobias, & Maccabæorum libri. *Athanaſio in Synop: Hilario in præfat. in Pſalmos. Nazianzeno in Carmine de genuinis S. Scripturæ libris. Hieronymo in prolog. Galeat. Epiphanio Hæreſi 8.*

V. Et Conciliis. *Laodicænum enim Concilium Canone 59.* Quæ, *inquit*, in Canonem recipi debent, ſunt hæc: Pentateuchus Moſis, Liber Joſuæ, Judicum, Ruth, Duo Samuelis, Duo Regum, Duo Paralipomenωn, Duo Edræ, Eſther, Job, Pſalterium, Proverbia, Eccle-

 ſiaſtes,

ſiaſtes, Canticum canticorum, Eſaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel, Oſeas, Joel, Amos, Obadias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuk, Zephanias, Haggæus, Zacharias, Malachias. *Fuit vero hoc Concilium Laodicenum approbatum à Concilio Sexto Oecumenico, Constantinopolitano. Vide distinct. 16. C. Quoniam Sanctæ univerſalis Synodi.*

VI. Et à Recentioribus Doctoribus laudatum, *non tantum nostris, ſed etiam Pontificijs, ut Cajetano, Sixto Senenſi, Stapletono, Bellarmino & alijs: qui distinctos ordines librorum constituunt. Vide Bellarm. l. II. de Verbo Dei. c. 4. Hugo Cardinalis in prologo Joſuæ hos ponit verſus:*

Reſtant Apocryphi, Jhesus, Sapientia, Paſtor,
Et Machabæorum libri, Judith atq; Tobias,
Hi quod ſunt dubii, ſub Canone non numerantur.

Vide p. 185. Apolog. Mentzeri. Et nota hinc maximum Eccleſiæ Romanæ in recenſendis libris Canonicis & Apocryphis diſſenſum, quem oſtendit Hunius in Labyrintho I. Papiſt.

VII. Deniq; diſcrimen illud ſine infinitis abſurditatibus negari non poteſt. *Sic enim convelletur authoritas univerſæ Scripturæ, oſtenſa nimirum falſitate & contradictionibus in libris Apocryphis. Conculcabitur judicium Propheticum & Apoſtolicum, & teſtimonium primitivæ Eccleſiæ de Canone ſcripturæ Sacræ. Imperfecta habebitur Chriſti enumeratio, univerſos V. Teſtamenti libros referentis ad Moſen, Pſalmos & Prophetas. Nam quæcunq; Scripta ſunt à tempore Prophetæ Malachiæ in V. T. illa certum eſt non fuiſſe ſcripta vel approbata à Prophetis, qui tum nulli fuere in populo Judaico ut conſtat. Et tantum de quæſtione Secunda: ubi campum haberemus ampliſſimum diſſerendi de natura* Canonis;

quid

quid sit? quæ ejus causæ? quomodo & quando constitutus? Verum res hæc ulterioris indaginis. Interim videatur Mentzerus à pag. 120. ad 160. Apolog. Antipist. Ad quæ respondeant Lojolitæ. Solo enim clamore terreri si nos opinantur, multum falluntur, firmis opus est, & perspicuis argumentis, si nos expugnare voluerint.

QUÆSTIO TERTIA THEOLOGICA.

An Lutherus Crimen falsi *admiserit inserendo Bibliis Germanicis Rom. 3. v. 28. particulam* Allein? N.

APOLOGIA.

Non fert animus ex professo tractare articulum istum sublimem de justificatione *hominis* peccatoris *coram DEO, qui verè est Acropolis &* ἑδραίωμα *totius Christianæ Religionis,* quo stante stat Ecclesia, ruente ruit & ipsa, *ut verissimè scribit Lutherus in enarratione Psalm. 130. ex August. enchir. ad Laurent. c. 64. Totum negotium post alios nostros Theodogos nervosè complectitur D. Mentzerus disp. 5. Antipist. Hoc nunc quæritur inter me & Adversarium:* An Lutherus crimen falsi admiserit inserendo Bibliis Germanicis Rom. 3. v. 28. particulam exclusivam Allein? *Notum vero est quo sensu nostrates Theologi particulis exclusivis utantur; non quòd velint excludere gratiam Dei, Christi meritum, prædicationem Evangelij & usum Sacramentorum; illa quippe potius omnia includit* sola Fides,

quæ in Evangelio intuetur,& apprehendit divinam gratiam, & justitiam per Christum partam. Hinc Bernhard.*in Psal. 91.Serm.*14.Salvus factus es gratis,quod ad te pertinet, & pro nihilo:sed quod ad illum,plane non gratis,non de nihilo &c. *Nec præsentiam operum simpliciter excludimus:verum fiduciam & meritum omne operum nostrorum. Fides enim quanquam sola justificat;nunquam tamen sola est, utpote conjunctam semper habens Spem, Caritatem, aliasq; virtutes, velut arbor bona bonis semper ornata fructibus. Calor Solis solus est,qui terram calefacit, ipse tamen calor non est solus in Sole,sed cum splendore.* Luther. *erudite in* 15. *cap. Gen.pag.*192.*tom.*6.*VVitemb:*Scio (dilectionem ,spem & alias virtutes) has esse insignia Dei dona, divinitus mandata, & per Spiritum Sanctum in nostris cordibus excitari & ali: scio Fidem sine his donis non existere:sed nunc nobis quæstio est,quid cujusq; proprium sit. Tenes manu varia semina,non autem quæro ego, quæ cum quibus conjuncta sint,sed quæ cujusq; propria virtus. Hic apertè dic, quid faciat sola Fides, non cum quib.virtutib. conjuncta sit. Sola autem Fides apprehendit promissionem, credit promittenti Deo: Deo porrigenti aliquid admovet manum,& id accipit.Hoc proprium solius Fidei opus est. Caritas, Spes,Patientia,habent alias materias,circa quas versantur, habent alios limites, intra quos consistunt: non enim amplectuntur promissionem, sed mandata exequuntur, *&c.Paulo post:* Scimus quidem, quod Fides nunquam est Sola, sed affert secum caritatem, & alia multiplicia dona, chorum pulcherrimarum Virtutum secum ducit:neq; unquam sola est.Sed non

ideo confundendæ res, & quod ſolius Fidei eſt, aliis virtutibus tribuendum. Fides ceu mater eſt, ex qua ſoboles illa Virtutum naſcitur. Hæc niſi prima adſit, fruſtra quæres illas, hæc niſi amplexa fuerit promiſſiones de Chriſto, non Caritas, non aliæ virtutes aderunt, etſi earum quaſi ſimulacra hypocritæ pingant ad tempus. *Hactenus Luther. Breviter dicendo: Particula* Sola *opponitur nō cauſæ principali promerenti (gratiæ divinæ, merito Chriſti); vel inſtrūentali offerenti (prædicationi Evangelij, & uſui Sacramentorum) ſed pluribus apprehendentibus. Sola enim Fides apprehēdit iſta beneficia & merita omnia gratis., Eph. 2. 89. Jā verò quia excluſiva hæc* αὐτολεξεὶ *neq; in Græco, neq; in Latino codice capitis allegati habetur, Cōtrovertitur* utrum Lutherus rectè fecerit, quod in translatione Germanica eam poſuerit? *Negant Eſauitæ; nos affirmamus.* A*ffirmativam hanc noſtram hoc roboramus ſyllogiſmo:*

Si particula hæc excluſiva Solum *vel* Sola *quo ad Articulum juſtificationis* 1. *diſertè in ſcriptura ponitur.* 2. *Ejus æquipollentes particulæ excluſivæ expreſſè in Sacris habentur.* 3. *Ex* συναφεία *textus Paulini neceſſaria atq; evidenti ratione eruitur.* 4. *Ex puro idiomate Germano fluit.* 5. *Ab orthodoxis Patribus omnium ferè ſeculorum paſſim uſurpatur.* 6. *Apud ipſosmet Scholaſticos Pontificios invenitur.* 7. *In ipſo jure Pontificio continetur.* 8. *In translationibus Bibliorum, etiam ante Lutherum editorum varijs reperitur.* 9. *ſimilia translationum exempla benè multa habentur: ſequitur Lutherum nequaquam Sacrilegium commiſſe, ſed rectè feciſſe. particulam*

hanc translationi Germanicæ inserendo. Verum Antecedens. E. & Consequens.

Antecedens ordine probamus.

I. Diserte ponitur, in sacra Scriptura, *Mar. 5.36.* Solum *crede*, μόνον πίστευε, *Sic Luc. 8. 50: noli timere*, μόνον πίστευε, Solum crede, *&c.*

II. Ejus æquipollentes particulæ exclusivæ expresse in Sacris habentur. *Galat. 2. 16. Non justificatur homo ex operibus Legis*, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως: *nisi per Fidem. 1. Joh. 5. 5. Quis est, qui vincit mundum*, εἰ μὴ ὁ πιστεύων, *Nisi qui credit, &c. Particulas autem illas*, ἐὰν μὴ, εἰ μὴ, *exclusivas esse, patet ex Matth. 19. 19. qui dimiserit uxorem*, εἰ μὴ, *nisi ob fornicationem (præter solam fornicationem) mœchatur. Hunc locum conjunge cum Matth. 5. 32. Qui dimiserit uxorem, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari. Sic. Mar. 13. 23, De die illo nemo scit, neq; Angeli in cœlo, neq; Filius*, εἰ μὴ *nisi Pater. Quem locum conjunge cum Matth. 24. 36. De die illa & hora nemo scit, neq; Angeli cœlorum*, εἰ μὴ μόνος πατὴρ *nisi Solus Pater. Gal. 6. 14. Absit mihi gloriari*, εἰ μὴ *nisi in cruce (sola cruce)* Christi *Apoc. 21. 27. non intrabit in eam aliquid coinquinatum*, εἰ μὴ *nisi qui scripti (sed soli scripti) sunt in libro vitæ Sic 2. Reg. 5. 17. Servus tuus non sacrificabit ulterius Diis alienis, nisi Domino, i. e. Soli Domino. Accedit huc quod ipsemet Pontificius* Dietenbergerus *particulas* ἐὰν μὴ, εἰ μὴ, *in versione Germanica expressit per vocem* Allein/ *in plerisq; locis allegatis. Sunt igitur ista* ἰσοδυναμοῦντα *seu æquipollentia* non nisi *per Fidem*; & sola *Fide justificamur.*

III. Ex συναφείᾳ textus Paulini necessaria atq; evidenti consecutione eruitur. *Scopus Apostoli Pauli hic est:* Hominem Salvari non ex operibus, sed ex Fide; unde

unde perpetua oppositio operum & Fidei: & passim tribuitur justificatio Fidei, Rom. 3. & 4. Ephes. 2. Galat. 2. & 3. Lex verò atq; Opera removentur ibidem; & proponitur hæc immediata oppositio: aut Lex, aut Evangelium justificat, Rom. 2. Gal. 3. aut opera aut Fides, Rom. 4. Gal. 3. aut ex debito, seu ex Lege per opera, aut ex gratia seu Evangelio per Fidem, Rom. 4. Hic jam usurpamus illam Maximam Logicam: In immediate oppositis, uno negato, solum alterum affirmatur. Iam *vero opera & Fides à Paulo immediatè opponuntur, & justificatio Operibus denegatur. E. Soli Fidei assignatur. Syllogismus Apostolicus disiunctivus hic est:*

Aut operibus salvamur, aut Fide.
At non operibus, Rom. 3. 20.
E. Fide; & quidem Sola, cum duo tantum sint, quæ immediatè opponantur. Remoto igitur uno (operibus), alterum solum (Fides) relinquitur.

IV. Ex puro idiomate Germanico fluit. *Germanicæ enim linguæ hoc solenne est, ut in oppositione, unâ vel pluribus rebus negatis, alteri reliquæ, quæ affirmatur, addatur exclusiva, uti Lutherus ipsemet ostendit in epistola quadam Germanica, quam postea subyciemus. Et probè hîc notandum, Lutherum textum Græcum & Latinum inviolatum reliquisse, & in Germanica translatione boni interpretis officio defunctum esse, quod est, non ubiq; verbum verbo reddere, sed præcipuè mentem autoris spectare, ac necessitate sic postulante verborum sensum atq; emphasin exprimere, secundum illud Horat. in arte Poët.*

Non verbum verbo curabis reddere fidus Interpres.

Exempla similia habebimus in membro hujus Syllogismi ultimo.

V. Ab orthodoxis Patribus omnium ferè seculorum passim usurpatur, Nos potiora recensebimus.

JUSTINUS, *in epist. ad Diognetum p. 385.* ἐπέδειξε δ' διὰ πίστεως, ᾗ μόνῃ θεὸν ἰδεῖν συγκεχώρηται. Ostendit (*DEUS*) per Fidem, qua SOLA Deum videre conceditur.

IRENAEUS *l. 4. c. 13.* Fides *efficit fidelem perfectum. H. in. præfat. lib. tert.* *SOLA FIDES* Vera est & Vivificat.

ORIGENES in c. 3. ad Rom. Dicit Apostolus, *(Rom. 3. 28. Arbitramur justificari hominem per Fidem* Sine *operibus Legis)* sufficere SOLIUS FIDEI justificationem *ita ut* CREDENS *quis* TANTUMMODO justificetur, etiamsi Nihil Operis ab eo fuit expletũ. *Et post pauca de Latrone converso:* clamavit de cruce, Domine Iesu memento mei cum veneris in regnum tuum: nec aliud quicquam describitur boni operis ejus in Evangeliis, sed pro hac Sola Fide ait Jesus ad eum: Amen amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. *Idem de muliere peccatrice:* Ex nullo Legis opere, sed Sola Fide ait Iesus ad eam; Remittuntur tibi peccata tua, Fides tua te salvã fecit: vade in pace, Sed fortassis hæc aliquis audiens resolvatur & bene agendi negligentiam capiat, siquidem ad justificandũ Sola Fides sufficiat. Ad quem dicemus: quia post iustificationem si iniuste quis agat, sine dubio iustificationis gratiam sprevit. Neq; ab hoc quis accipit veniam peccatorũ, ut rursum sibi putet licentiam peccandi datam. Indulgentia namq; non futurorum, sed præteritorum criminum datur.

Luc. 23. 42.

Luc. 4. 84.

CYPRIANUS in Exposit. Symb. c. 39. de remissione pec-

ne peccatorum ſufficere deberet *SOLA CREDU-LITAS.* Quis enim cauſas, aut rationem requirat, ubi *I*ndulgentia principalis eſt?

Euſebius *l.3. Hiſt. Eccl. c. 27. refert* Ebionitas hæreſeos damnatos, quod docerent; hominem non per *SOLAM FIDEM I.* C. ſalvari.

Hilarius *l.6. de Trinit.* Hæc *S*ola *F*ides confeſſa Chriſtum Dei filium omnium beatitudinum gloriam meruit Petro. *It. Can. 8. in Math.* Movet ſcribas remiſſum ab homine peccatum. *H*ominem enim tantum in Jeſu Chriſto contuebantur: & remiſſum ab eo, quod Lex laxare non poterat. Fides enim ſola iuſtificat. *It. Can. 21. de duobus filijs in Vineam ablegatis: I*nviti licet, confitentur, quis obſecutus ſit voluntati, iunior ſcilicet filius obediens profeſsione, licet non efficiens in tempore, quia *S*ola *F*ides iuſtificat. Atq; ita publicani & meretrices in regnum cœlorum eunt priores, quia *I*ohanni *CREDIDERUNT.* Principes autem *S*acerdotum & Phariſæi videntes hæc & contemnentes iuſtificati per fidem non erant.

Baſilius *in Homil.* περὶ ταπεινοφροσύνης: αὕτη ἡ τελεία καὶ ὁλόκληρος καύχησις ἐν θεῷ, ὥστε μήτε ἐπὶ δικαιοσύνῃ τις ἐπαίρεται τῇ ἑαυτοῦ, ἀλλ᾽ ἔγνω μὲν ἐνδεῆ ὄντα ἑαυτὸν δικαιοσύνης ἀληθοῦς, πίστει δὲ μόνῃ τῇ εἰς Χριστὸν δεδικαιωμένον. Hæc eſt vera & integra gloriatio in Deo, quando neq; propter juſticiam ſuam quispiam effertur, ſed ſtatuit ſe carere vera juſticia: Fide autem *SOLA* in Chriſtum juſtificari.

Gregorius Nazianzenus *in orat.* περὶ εὐταξίας: Δικαιοσύνη μὲν γὰρ καὶ πιστεῦσαι μόνον: iuſticia eſt Credere Solum.

Ambroſius *decies quater uno & altero capite Epiſt. ad*

Rom. particulam Solam *uſurpavit. Ejus aureum hoc pronunciatum in cap. 1 prior. ad Cor.* Hoc conſtitutum eſt à Deo, ut qui Credit in Chriſtum, ſalvus ſit ſine opere *S*ola *F*ide, gratis accipiens remiſsionẽ peccatorum.

Chryſoſtomus *in c.3. Rom.* Hic virtutem Dei oſtendit, quod non ſolum ſalvavit ſed & iuſtificavit, & in gloriam induxit nullis ad hoc uſus operibus ſed Fidẽ duntaxat exigens. *It. in cap.8. Rom.* Hoc tantum obtulimus Deo donũ, quod ipſi futura promittenti credimus, & per hanc *S*olam Viam ſalvati ſumus. *In cap. 2. Gal. verba Apoſtoli ſic reddit: Scientes, quod non juſtificabitur homo ex operibus Legis, ſed* Tantum Per Fidem J.*C. In ca. 3. Gal.* Pſeudoapoſtoli dicebant, qui *S*ola Fide nititur, execrabilis eſt: hic contra demonſtrat, qui *S*ola Fide nititur, eum benedictum eſſe. *Ibid.* Quod ſi Abrahã ex *F*ide iuſtificatus eſt, idq; cũ & operibus floreret, multo magis nos; quid igitur illi detrimenti attulit, quod non eſſet ſub Lege? nihil ſed Sufficiebat ei Fides ad juſticiam. Hom. *4. in* 1. *Tim.*1. *I*ncredibile videbatur (Judæis), ſi quidem homo qui omnem priorem vitam fruſtra atq; inaniter comſumſiſſet, duxiſſetq; per mala opera, poſtmodũ ex *F*ide Sola ſalvandus diceretur; ideo addit: *F*idelis Sermo. *Id. Hom.3. in epiſt. ad Tit.* Quare *F*ides nõ juſtificare ſufficiat Sola? *Id Hom. de Fide & Leg. Nat.* Latro Credidit Duntaxat, & juſtificatus eſt à miſericordiſſimo Deo: atq; hic ne mihi dixeris, defuiſſe ei tempus, quo juſtè viveret, & honeſta faceret opera, neq; enim de hoc contenderim ego, ſed illud unum aſſeveraverim, quod Sola *F*ides per ſe ſalvum fecerit: nam ſi ſupervixiſſet, *F*ideiq; & operum fuiſſet negligens, à ſalute excidiſſet.

*H*ierony-

Hieronymus *in c. 4. Rom. Impium* Per Solam Fidem justificat Deus. *Et paulo post:* Deus proposuit Per Solam Fidem peccata dimittere. *Id. in c. 5. Rom:* Abraham ex Sola prona Fide justificatus est *Id. in c. 10. Rom.* Ipse Moses distinxit in Levitico inter utramq; justiciam, Fidei scilicet, & Factorum; quod altera Operibus, altera Sola Fidei Credulitate fiat. *Id. in. c. 3. Rom. v.* 11. ut omnis Israel per Solam Fidem salvaretur. *Id in c. 3. Gal.* Abraham credidit Deo &c. ita & nobis ad justiciam Sola sufficit Fides. *Ibid. in v. 11. Quoniam nemo in Lege justificatur &c. Quia* nemo illam servat, ideo dictum est, quod Sola Fide justificandi essent credentes.

Augustinus, *Serm. 68. de temp. Credidit Abraham. Deo, & deputatum est illi ad justiciam.* Ecce sine opere justificatur ex Fide, & quicquid illi Legali posset observatione conferri, totum Credulitas Sola præstitit. *Idem* in *Psalm.* 88. De FIDE dictum est: Fide mundamus corda eorum. Et quia Sola Fides Christi mundat, non credentes in Christum soluti sunt ab emundatione. *Id. tract. 42. in Johan.* non solum peccato vitiosi erant Judæi (nam hoc malum commune erat omnibus) sed etiam præcogniti, quod non fuerant crediturì ea Fide, qua Sola possent à peccatorum obligatione liberari. *Id. in c. 2. Eph.* Non nostra sponte credidimus, sed vocati accessimus, & cum accessissemus, non exegit vitæ sanctitatem & innocentiam, sed Sola Fide suscepta condonavit peccata. *Id. de Vera & Falsa pœniten. c. 8.* Per Fidem Solam remittuntur peccata.

*H*esychius in c. 14. *Levit.* Miserum Deus huma-

num genus, cum illud ad explenda *L*egis opera infirmatum vidisset, jam non ex operibus salvari, sed per Gratiam hominem voluit. Gratia vero & misericordia atq; compassione præbetur & Fide comprehenditur Sola, non ex operibus, ut Paulus dicit: nam gratia iam non erit gratia.

Gennadius *in c.2. Rom.* Propterea omnes, qui credunt in Christum, gratis iustificantur, Tantum Fidem afferentes.

Theodoretus *in c.3. Rom.* Sola Fide allata peccatorum remissionem accipimus.

Claudius Marius Victor *l.3. in Gen. de Abraham.*

Credidit & nulla Fidei confessio Sola
Plenam ad iusticiæ & meriti reputata coronam est.

Theodulus Cœleseriæ *Presbryter, in c. 4. Rom.* Ipsa *L*ex, quam gloriaris (*I*udæe) non profuit ad promissiones ipsi Abraham factas, ut quæ nondum sancita esset, sed *S*ola *F*ides.

Primasius in c. 4. Rom. *I*mpium per *S*olam Fidem (Deus) iustificat, non per opera, quæ non habuit. *Id. in c.3. Gal.* Sicut scriptum est: Abraham Credidit Deo, & imputatum est ei ad iusticiam; ita & vobis ad iusticiam *S*ola *F*ides sufficit.

Beda *in Psal.77.* Per iusticiam factorum nullus salvabitur, sed per *S*olam iusticiam *F*idei.

Glossa ordinaria (quæ prodijt circa annum 840. cuius autor existimatur Strabus Fuldensis) *in epis. Rom c.3.* Sequuntur opera iustificatum non præcedunt iustificandum, sed *S*ola *F*ide sine operibus præcedentibus homo fit iustus. *In epis.* Jacobi *c.2.* Abraham per opera,

quæ

quæ fecit, iustus non fuit, sed Sola Fide: oblatio vero eius est opus & testimonium *Fidei* & iusticiæ.

Haymo *in c.1.Rom.* Pluribus modis ostendit *Pau*lus iusticiam & salutem non esse per *L*egem sed per Fidem in Christũ ut à Lege abducat, & in Sola *F*ide Christi eos instituat. *Id. in c.3. Gal.* Lex nõ complebatur Fide, sed opere. Evangelium vero completur *F*ide magis, quam operibus, quia Sola *F*ides salvat.

Theophylactus *in c.3. Gal.* Demonstrato eo, quod *L*ex maledictos faciat, Fides autem benedicat, ostendit iam nunc, quod & Fides *S*ola iustificet; adducitq; *H*abbacuc dicentem, quod ex Fide iustus sit victurus, & non ex *L*ege, Lex enim non solum Fidem, sed & opera postulat. *P*ulchrè autem dixit; Apud Deum. Apud homines enim iusti forsan videri queant *L*ege detenti, quales *P*harisæi (*hodie Loiolitæ*) iustificantes se ipsos coram hominibus. Quia igitur *L*ex ob difficultatem operum non iustificabat, sed potius maledictionem subiugabat, venit gratia facilem viam ostendens, Fidem scil. per quam iustificati benedicimur. *Ibid.* Fides sola habet in se iustificandi virtutem.

Bernhardus *Serm. 22. in Cantic. cantic.* Quisq; pro peccatis compunctus esurit & sitit iusticiam, Credat in Te quia iustificat impiũ, & Solam iustificatus per Fidẽ pacem habebit ad Deũ. *Id Serm.1. in Vigil. Nativ.* sit in corde iusticia, & iusticia quæ ex Fide est; hæc enim Sola habet gloriam apud Deum. *Id Epist. 77.* Ab his duabus Columnis (Augustinũ loquor & Ambrosium) crede mihi difficile avellor, cum his inquam me aut errare aut sapere fateor, Credens & ipse Sola Fide posse hominem salvari.

Nicolaus

Nicolaus *de* Lyra *in c.3. Gal. Ad quid Lex utilis?* Quasi diceret: Si Lex non iustificavit, sed Sola Fides, quare ergo posita est, & data?

VI. Apud ipsosmet Scholasticos Pontificios; & Esauitas continetur.

Thomas Aquinas *in c.1. Tim.1. lect.3.* Non est in eis (operibus) spes iustificationis, sed in Sola Fide. *Rom.3. Arbitramur hominē justificari per Fidem Sine operibus Legis*

Bonaventura *in 4. Sent. dist.15. q.1. Homo non potuit* pro tanta offensa, satisfacere ideo Deus dedit ei Mediatorem, qui satisfaceret pro offensa; unde in Sola Fide passionis remittitur omnis culpa, & sine Fide eius nullus justificatur.

Joh. Taulerus *Concionator Argentorat. circa A. C.1341. qui dixit Ecclesiam indigere gravi reformatione in Conc. f 105.* Alle wahre Seeligkeit leidt allein in rechter Gelassenheit. *f. 192.* Niemandt mag zu ihn kommen / er werde dann durch den Glauben eingeführet.

In præfatione super Evangelium Johannis *Anno* 1502. *Augustæ Vindelicorum per* Sigismundum *Grimm publicata, hæc leguntur verba.*

Wann du glaubest / daß Christus von deinet wegen Mensch ist worden / zu erfüllung der zusagunge / Abraham vnd seinem Samen geschehen / im Gesetz vnd Propheten. Item daß Er von deinet wegen gelitten / gestorben vnd begraben ist / sich selber als ein wahrer Bischoff zu abtilgung der Sünde auffgeopffert. Item das Er vom Todt erstanden / rc. Vnd als ein eingebohrner Sohn Gottes allen / die an seinen namen glauben / das Er Gottes Sohn seye / verliehen Kinder Gottes zu werden / vnd das ewige Leben zu besitzen / rc. So hastu warlich alles das du glaubest / vnd wirt dich durch Solchen Glauben zugeeignet / was Christus hat. Also erfüllestu das Gesetz / daß Es

dich

dich nicht beschuldige / sterbest der Sünden / das sie dir nicht schadet / erstehest der Gerechtigkeit / die du hoffest / Und wirst new geboren in ein ewig Göttlich Leben: und bald hernach. Also ist auß Krafft des Glaubens durch würckunge Gottes alles daß dein / was Christus hat / Und das Christi was du hast. O wie grosser wechsel hierauß kompt es / daß dir kein Sünde schaden / kein Gesetz dich beklagen mag: dann Gott nimpt das Leben / sterben des Christi an / gleichsam were es dein eigen: und dein Leben gleichsam wehre es Christi / etc.

Erasmus *alicui scribit. Vox* Sola *tot clamoribus lapidata hoc seculo in Luthero reverenter auditur, & legitur in Patribus*. Roffensis *art. 1. adv. Luth.* Fides quæ justificat, ferax est bonorum operum, nec vero inficior, quin fides absq; partu bonorum operum, h.e, cum opera nondum peperit, iustificet, at iam operum gravida est paritura cum occasio fuerit.

M. Gian *Francesco Virginio Bresciano hoc scripsit ex Epistola Pauli ad Rom. 3. & inscripsit Madamæ Renatæ Ducissæ Ferrariensi di Bolognia Ann.* 1551. *Venetijs.* Hovi jo pure homai scoperti per impii & iniqui: è fatto chiara mente vedere, che non per la osservatione della lege, Ma Sola Per la Fiducia nei meriti di Giesu Christo, giusti ficarvi presso à Dio è salvarvi, *h.e. Demonstravi hactenus nos esse impios & injustos & clarè ostendi, quod non per observationem legis sed* Per Solam Fidem Et Fiduciam *in meritum Christi coràm Deo possitis justificari & Salvari.*

Joh. Hoffmeist. *in Har. Aug. Confes. Fabric. p 46. ed. Colon. An. 87.* Ante exortum hunc in Ecclesia Dei tumultum nemo fuit offensus particula illa Sola, quam jam teneræ quorundam aures vix ferre queunt, ne-

mo siquidem unquam in ius vocavit D. Ambrosium quod affirmarit, hominem Sola Fide justificari.

Georgius Cassander *in Consultatione de art. Confess. August. arti. 4. de Justificat. p. 19. edit. Lugdun. per Zetzner Anno 608. ita scribit.* Quod autem Protestantes passim urgent, Sola nos Fide justificari tolerabilius est, cum interpretantur, se in Fidei nomine, gratiam quæ ei ex adverso respondet intelligere, ut idem sit, Sola Fide justificari, quod Sola Gratia, Non Ex Operibus. *Ibidem:* Habet hæc locutio exempla Vetustatis, nam Origines in Epist. ad Rom. demonstrat, Fide Sola absque operibus, aliquos esse justificatos: Et Hilarius de Paralytico. A Christo (inquit) per fidem remissio est, quod lex laxare non poterat, Fides enim Sola justificat. &c. Per hanc autem Solam Fidem intelligunt haut dubiè Solum meritum & confidentiam operum excludunt, ut gratia stabiliatur, quomodo Paulus inquit, Si ex operibus jam non ex gratia. *Idem ibidem* Illud autem accurate observetur, Si Sola Fide apud populum homo iustificari dicatur, illud simul inculcetur, fidem tametsi solam iustificare dicatur, tamen Solam esse non posse, sed necessario pœnitentiam, & vitæ melioris propositum adiunctum habere, ne videlicet inanem quandam & adumbratam imaginem fidei, pro solida & expressa fide amplectamur. Providit hoc quoq; Lutherus in visitatione Saxonica: Multi (inquit) dum audiunt, ut solũmodo credatur, omnia ipsis remitti peccata, finguntsibi fidẽ & putant se mundos esse, per quod fiunt temerarii & securi. *Hæc Cassan.*

Franciscus Costerus *in Enchiridio Controvers. C. 6. de causis & modis iustificat: pag. 260. edit. Coloniens. Anno 590.*

evidentiâ Veritatis adactus ita ſcribit: Cauſa verò meritoria juſtificationis impii, nulla prorſus eſt, vel in ipſo impio vel in ullis aliis ſeu viventibus hominibus, ſeu ſanctis in Cœlo cum Chriſto regnantibus: quia nulla omnino creaturæ opera, nullæ pœnitentiæ nulla martyria, nullæ pœnæ, nulla virtus poteſt mereri cuiquam peccatori remiſſionem peccatorum ſuorum: peccatum enim, quod ex infinita maieſtate offenſi Dei infinitam malitiam contraxit, Non Niſi per infinitum meritum poteſt deleri, quod infinitum meritum in Solis Chriſti operibus & perpeſſionibus ob infinitam divinæ perſonæ dignitatem cernitur; non autem in ulla actione aut merito creaturæ. *Hæc ille. Quæ quomodo cum ſuis commentis de operum juſtificatione conciliare monachi poſſint, ipſi etiam atq; etiam viderint.* Bellarminus *alias magnus juſtitiarius, nihilomnius cõſcientiæ ſtimulis impulſus ita ſcribit. l.5. de juſtif. c. 7. propoſ.3*. Propter incertitudinem propriæ juſtitiæ, & periculum inanis gloriæ tutiſſimum eſt Fiduciam Totam, in Sola Dei Miſericordia & benignitate reponere. *Quid quæſo hoc aliud eſt dictum, quam Sola fide juſtificari velle, & totali in Chriſtum gratuitò & ex miſericordia nos juſtificantis fiduciæ inſiſtere, & fundamenti loco inniti, ac ſolius divinæ miſericordiæ ejusq; juſtitiæ in Fide recordari, juxta illud Davidis Pſal. 71.* Introibo in potentia domum Domini, recordabor juſtitiæ tuæ ſolius. *Habemus ergo hujus voculæ, Sola, tandem Aſſertorem ipſum Bellarminum qui quó magis ſuam mentem explicet, adducit aliquot probationes, ſanè conſideratione dignas, præſertim quia proficiſcuntur ab homine Eſauita ſuam ſentertiam etiam Adverſarirum teſtimonijs*

ſtimonijs comprobante: Sic igitur ille porrò. Probatur igitur propoſitio teſtimoniis illis, quæ Adverſarii contra meritum operum adferre ſolent. Nam quod ait Daniel Cap. 9. Non in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces noſtras ante faciem tuam ſed in miſerationibus tuis multis. Et quod ipſe Dominus admonet Lucæ 17. Cum feceritis hæc omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſervi inutiles ſumus; hoc ſolũ probant, quod nos dicimus tutum eſſe, in Sola miſericordia Dei & non operibus noſtris fiduciã collocare. Quod etiam teſtantur publicæ preces quas Eccleſia Catholica ad altaria fundere ſolet. Nam in collecta Dominicæ, quæ Sexageſima dicitur, ſic orat Eccleſia: Deus, qui conſpicis, quia ex nulla noſtra actione confidimus &c. Item in Collecta Secretæ Dominicæ Adventus. Ubi nulla ſuppetunt ſuffragia meritorum, tuis nobis ſuccurre præſidiis. Item in Canone poſt conſecrationem: Intra quorum nos conſortium non æſtimator meriti, ſed veniæ quæſumus, largitor admitte. Similia paſſim leguntur in Patribus Chryſoſtomo, Ambroſio, Auguſtino, Gregorio, Bernhardo. Denique, his accedit ratio manifeſta. Vel enim habet homo vera merita, vel non habet; ſi non habet, pernitioſè fallitur, ſeq; ipſe ſeducit, dum in falſis meritis confidit. Iſtæ enim ſunt fallaces divitiæ apud S, Bernardum, quæ veras impediunt. Si verò habet, nihil perdit ex eo, quod ipſe ea non intuetur, & in Solo Deo confidit. *Hactenus Bellarminus. Ex quibus evidenter apparet, eum in Conſcientia ſua convictum, noſtram propoſitionem de Sola Fide judicare tutiſſimam eſſe.* Utinam verò *Eſauitæ*

in hac orbita manerent, & non exorbitarent desultoria levitate ad operum mercimonia & nundinationes, quomodo esset pax eorum ut flumen, & justitia ut fluctus maris? Veruntamen, quia Clavem Scientiæ habent, & tamen nec illi intrant, nec alios intrare sinunt; ideo serò tandem decretoriam & Condemnatoriam audient in sui perniciem sententiam, â D.Paulo his verbis Dei nomine conceptam. Justitia Dei revelatur in eo (*scil. Evangelio.*) ex fide in fidem, sicut scriptum est. *Rom.1.17.* Iustus autem ex fide vivit. Revelatur enim ira Dei de Cœlo super omnem impietatem & injustitiam hominum eorũ, qui veritatem Dei in iniustitia detinent.

V *II. In* ipso Iure Pontificio continetur *part.2. Decret. distinct 2. de pœnitentia c. Charitas:* Quod si Charitas a Fide Christianorum seiungi nequit, cui scilicet Soli venia promittitur, quomodo, qui charitatem non habuerit, fidem Christanorum habuit, in Christum credidit? *Et post pauca.* Hoc est enim manducare panem vivum, quod credere in Christum, id est amando tendere in ipsum. Cum ergo reprobus in eum non crediderit, quem non manducavit: Et ita Fidem Christianorum (qua Sola peccata, relaxantur) non habuerit, quomodo si vivit Dominus, Cui omne judicium dedit pater, iudicium perpetuæ damnationis effugiet omnium non solum actualium, sed etiam originalium? *Item part.3. Decret. de Consecrat: C. Firmissimè:* Dicit Apostolus: Eramus enim & nos natura filii iræ, sicut & cæteri. *A* qua ira nullus liberatur Nisi Per Fidẽ Mediatoris Dei & hominũ hominis Jesu Christi.

V *III.* In translationibus Bibliorum etiam ante Lutherum editorum variis reperitur.

Syriaca *trãslatio in c.4. ad Rom. ita legit Syriaca.* Ei vero, qui non operatur, ſed Solum *(Balchud.)* Credit in eum, qui juſtificat peccatores, imputatur fides ad juſtitiam.

Italica *verſio ante aliquot annos Venetijs excuſa locum Gal.2.v.16. ita reddidit:* Noi per natura Judei e non delle genti peccatori ſapendo che l'huomo non ſi giuſtifica per l'opere della legge ma Solo Per La Fede di Gieſu Chriſto e noi in Gieſu Chriſto Crediamo. Germanica *translatio allegatur â D. Mentzero in Exeg. Auguſt. Confeſſ. artic.4.p.144. Inſpexi, inquit, Confluentiæ in Bibliotheca* Jeſuitarum *antiqua Biblia Germanica ante Lutherum edita, in quibus habetur, Rom.* *particula excluſiva:* allein durch den Glauben ohne die werck der ee. *Veteres .n. Germani legem vocarũt* Die ee *: ut multis exemplis poteſt oſtendi.*

Sic in Bibliotheca Ampliſſimi noſtri Senatus Spirenſis duo habentur exemplaria Bibliorum Germanicorum vetuſtiſſima, quorum utrumque particulam Galat. 2. verſ. 16. ἐὰν μὴ, *niſi reddit. per* Nur *quæ idem valet quod* Allein *Exemplar alterum impreſſum eſt Norinbergæ per Antonium* Roburger im Jahr Chriſt 1483. *verba hujus Exemplaris ita habent.* wann wir wiſſen das der Menſch nit wirt gerechtvertigt/ auß den wercken der ee. Nur durch den glauben Jheſu Chriſti/ vnd wir glauben in Jheſu Chriſto / das wir werden gerechtvertiget auß dem glauben Chriſti Vnd nit auß den wercken der ee. Darumb alles fleyſch wirt nit gerechtvertig von den wercken der ee. *Alterum priori antiquius ita habet:* wann wir wiſſen das der Menſch nit wirt gerechthaftig von den wercken der ee. Nur durch den glauben in Jheſu Chriſto / das wir werden gerechthaftig Von den glauben Chriſti vnnd nit von den wercken der ee.

IX. Similium Translationum exempla benè multa habentur in Biblijs Hebraicis, Græcis, Latinis & Germanicis.

In

In Hebraicis; *ut Deut.4.35.* ut ſcias quod D ominus eſt Deus & non alius præter eum. Ego ſum Solus Jehovah hu ha elohim enod millephado. Dominus ipſe Deus nō amplius præter eum. *Hic locus Deuit 32.39. ita explicatur.* Deu atta Ki anianihu veein elohim immadi. videte nunc quod Ego Ego (ego *S*olus) *I*pſe & non Dii mecum.

In Græcis; *ut Genes.3.v. 11. Ediſti de ligno de quo præceperam tibi ne comederes. L X X. ita reddiderunt:* Ediſti de ligno de quo præceperam tibi. τȣ́τȣ μόνȣ μὴ φαγεῖν. Ex hoc Solo (quo excluſiva in Hebræo explicitè non habetur) non comedes. Sic *Deut.6.13.& c.10.20.* Iehovam Deum tuum timebis & ipſi ſervies. *LXX. interpretes ita in Græcum textū transtulerunt* Καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις Dominum Deum tuum timebis & illi Soli ſervies. *Hanc verſionem confirmat Chriſtus ipſe Math.4.v. 10. quando inquit ad Diabolum.* Abi Satan, ſcriptum eſt enim Dominum Deum tuum adorabis & illi Soli ſervies. *Hîc ſi Diabolus imitari voluiſſet Eſauitarum caoëthes, æque potuiſſet ad textus corruptelam provocare, ſed quia ſenſu verborum transfigi ſe ſentiebat Diabolus, modeſtior fuit hoc loco ipſis Eſauitis & ad alia ſe contulit. In Latinis; ubi verſio Latina, quam Concilium Tridentinum authenticam pronunciavit, plurimis in locis excluſivam majoris emphaſeos gratiâ inſerit. Levit.21. v.2.* Non contaminetur Sacerdos in mortibus Civium ſuorum, niſi Tantum in conſanguineis. *Deut.6.v.13.* Dominum Deum tuum timebis & illi Soli ſervies. *Idem eodem modo repetitur c. 10. v. 20. ſic Deut.c.12.v.32.* quod præcipio tibi hoc Tantum facito. *Deut.22.v.27.* Sola erat in agro. *Deut.32.v.39.*

Ego

Ego, Ego ſum Solus & non eſt alius Deus mecum. *1. Samuel. 10. v. 19.* Abieciſtis Deum veſtrum, qui Solus ſalvabit vos. *1. Samuel. 18. v. 8.* Quid ei ſupereſt niſi Solum Regnum? *1. Regum 7. v. 7.* Animas Tantum ſuas ſalvare cupientes. *2. Reg 19. v. 19. v. 11.* Tu ergo Solus poteris liberare. *2. R. 23. v. 9.* ſed Tantum Comedebant infermentata. *2. Paralip. 20. v. 12.* Hoc Solum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te. *Eſther. 3. v. 2.* Solus Mardochæus non flectebat genua. *c. 4. v. 13.* Quod animam tuam Tantum liberes. *Job. 17. v. 1.* Solum mihi ſupereſt Sepulchrum. *cantic. 8. v. 1.* Et inveniam te Solum foris. *Ier. 17. v. 4.* Relinqueris Sola ab Hæreditate tua. *Daniel. 11. v. 4.* *Hæ* autem Solæ ſalvabuntur de manu eius. *Zachar. 8. v. 19.* Veritatem Tantum & pacem diligite. *In his locis omnibus particula excluſiva non exprimitur in Hebræo, & tamen ab interprete Latino perſpicuitatis & emphaſeos gratia expreſſa eſt.*

In Germanicis; Prætèr Dietenbergerum, Joh. Eccius in verſione ſua Germanica Ingolſtadij impreſſa per Alexand. & Samuel. Weiſſenhorn *A.C.* 1550. *loca illa, quæ habent particulas ἐὰν μὴ, εἰ μὴ Niſi expreſſit per vocem* Allein/ *ut 4. Reg.* 5. 15. Vere ſcio, quod nō ſit alius Deus in univerſa terra Niſi in Iſraël: Eccius ita vertit. warlich wäiß ich/ das Käin Gott in allem land dann Allein in Jſrael/ *ibidem. v.* 17. Non faciet ultra ſervus tuus holocauſtum, aut victimam Diis alienis, Niſi Domino. *Eccius ita vertit.* Dann dein Knecht würdt fürhin nicht brandt opffer oder opffer opffern frembden göttern / dann Allein dem Herrn. *Marc. 13. 32.* De die illo vel hora nemo ſcit, neq; Angeli in cœlo, neq; Filius, Niſi Pater Eccius: Von dem tage vnd der ſtunde

wäiſt

wäist niemand/auch die Engel nit im himmel/auch der Sohne nicht/sondern allain der Vatter.

Apocalyp.21.v.ult. Non intrabit in eã aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium, Nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni. *Eccius:* Vnd wirdt nicht hineyn gehn/irgent ichtes befleckts/ oder das so grewel vnd Liegen thut/ sonder allain die so geschriben seind in dem Lebendigen buch des Lams.

Atq; hæc sunt fundamenta nostra, quibus probamus, non tantùm B. Lutherum particulam Allein *(solùm) rectè in translatione Bibliorum Germanica usurpasse; sed & veram* ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων *esse hanc;* Sola Fides justificat; *respectu videlicet causæ instrumentalis apprehendentis.* Ubi *nota; Adversarios etiam interdum uti hac loquendi forma, sed ad decipiendum Simpliciores. Quando enim Osorius & Miletus contra Hessus.p.134.scribit* Sola fide justificamur; *intelligit per Solam fidem, fidem Romanam, quæ magis traditionibus humanis, quam Scripturæ S. oraculis nititur. Alias sententiæ nostræ orthodoxæ adeò infensi sunt Lojolitæ, ut ob hanc nos appellent Fide-Solarios (uti ex Analy. Greg de Valent: & alijs patet) perinde ac Julianus Apostata Christianis* NB. Apostata. *probrosè Fidem Solam obijciebat, dicens;* Οὐδὲν ὑπὲρ τὸ πίστευσον τῆς ἡμετέρας ἐστὶ σοφίας: *Referente Sozomeno l.5.c.18. Hist. Eccles. Quam vocem Cyprianus hoc pacto reddidit in Exposit: Symb. Apost.* Pagani nobis obijcere solent, quod religio nostra quæ quasi rationibus deficit, in Sola credendi persuasione consistat.

Cæterum neq; temporis, neq; instituti ratio fert, examinare argumenta & exceptiones Adversariorum Contra Exclusivam Sola. Argumenta quæ habet Bellarmin.l.1.de justifi.c.12.

13.& seq. Post alios prolixè refutat D. Gerhardus tom. 3. Locor. Theolog. c. 19. à pag. 1442. ad 1500. Ubi *Lojolitæ habebunt amplum sese exercendi campum. Nobis hac vice res est cum nostro Apostata. Audiamus ergo illius exceptiones contra fundamenta, à nobis in Quæst. 3 pro particula* **Allein** *adducta.*

Contra Primum nostrum fundamentum petitum ex συναφείᾳ *textus Paulini tripliciter insurgit:* Primo *tali Syllogismo cornuto:*

Particula **Allein** *aut necessario fuit ponenda, aut non. Si fuit. E. Spiritus S. cum Apostolo Paulo non rectè fecit, quod eam omiserit: sin vero non fuit. E. Lutherus contumaciæ accusandus, quod eam posuerit.*

Respondeo cornu hoc nos non ferit, multo minus, vel Spiritum S. vel Apostolum Paulum, quippe qui Græcè non Germanicè scripserunt. Et latet fallacia in voce ponere: *Quædam enim ponuntur implicitè, quædam explicitè. Sic particulam* **Allein**, *& Spiritus S. cum Paulo, & Lutherus posuit; sed illi implicitè, hic explicitè, illi tacitè, hic expressè. Cape exemplum ex Deut. c. 6. v. 13.* Dominum Deum tuum timebis & illi SOLI servies. *Hic exclusivam SOLI, neq; Spiritus S. neq; Moses posuit, & tamen LXX, item ipse Christus, item vulgata versio posuit. Jam applica syllogismum Lojoliticum.*

Particula, SOLI, aut necessariò erat ponenda, aut non. Si fuit. E. Spiritus S. & Moses non rectè fecerunt, eam omittendo: sin verò non fuit. E. LXX. Versio vulgata, imò Christus ipse errarunt eam ponendo.

Jam libenter audiam ex Apostata quid ad hunc Suum Syllogismum respondere velit. Et quodcunq; mihi responderit, sibi responsum putet. Cape exemplum aliud magis speciale.

Particula, **Allein**, *Marc. 13. v. 32. Apoc. 21. v. ult. aut necessariò*

sariò erat ponenda aut non. Si fuit. E. Spiritus S. & Evangelista Marcus, item Johannes Theologus non rectè fecerunt quod eam non posuerint. Sin verò non fuit. E. Contumaciæ accusandus Eccius quod eam locis citatis posuerit, uti paulò antè demonstravimus.

Responde Apostata; &, vel versionem Eccij Germanicam corrige, vel in Lutherum debacchari desine. Etenim, quare non eodem jure, quo tuus Eccius usus est, Lutherus noster gauderet, in causa præsertim eadem? Reus non debet esse deterioris conditionis quàm Actor.

Secundò *talem nectit Syllogismum:*

Si Apostolus Paulus excludit tantùm opera Legis *non Evangelij, sequitur nos non* SOLA *fide justificari, sed & Fide & operibus Evangelij.*

Verum antecedens. E. & consequens.

Respondeo: Si Apostata verum dicit, tùm non errat. Et in memoriam ipsi revoco perpetuum istum, quem adeò jactitant, Ecclesiæ Romanæ consensum.

Initio enim fuerunt Scholastici, qui docuerunt, per opera à Paulo excludi opera Legis Ceremonialis.

Alij statuerunt, per opera excludi opera Liberi Arbitrij ante regenerationem facta. Tandem cum utrunque absurdum esse intelligant Lojolitæ, fingunt discrimen inter opera Legis & Evangelij, contra Scripturam S. quæ docet: Hoc esse opus Dei, ut credamus, *Reliqua opera omnia quæ citare solent Lojolitæ (ut spes, Charitas, Patientia, &c.) sunt opera non Evangelij, sed Legis, ut prolixè demonstrare possemus, nisi tempori parcendum. Brevitatis gratiâ hunc proponimus syllogismum:* *Iohan. 6, 29.*

Quod uni oppositorum assignatur in oppositione, id alteri

 nullo

nullo modo assignari potest; ut habet Maxima Logica.

Atqui Lex & Evangelium in foro Justificationis sunt opposita, & in illa oppositione Legi assignantur opera. Rom.3.& 4. Gal.2.& 3.

E. Evangelio opera assignari nullo modo possunt.

Exspectamus itaq; ab Adversario Catalogum operum Evangelij, quæ non continentur in Lege Morali.

Tertiò: *Operibus nos salvari probavit Adversarius autoritate Jacobi, qui c.2.v.24. inquit, Videtis quoniam ex operibus justificatur homo & non ex fide tantùm.*

Respondeo I. Non disputabo hîc de autoritate hujus Epistolæ, de qua olim dubitatum fuisse in Ecclesia testatur Historia Ecclesiastica, ut Eusebius l.2.c.23. II. Jacobus loquitur non de justificatione in foro Poli, id est, coram Deo, quæ fit solâ fide; sed de justificatione Soli, h.e, coram Mundo, quæ fit operibus, quibus nostram fidem qua justificati sumus declaramus seu ostendimus, unde Augustinus: Opera non præcedunt justificandum, sed sequuntur justificatum. *Interpretatio hæc petitur ex ipso textu Jacobi, qui vers. 18. inquit:* OSTENDE mihi fidem tuam sine operibus, & ego OSTENDAM tibi EX OPERIBUS, fidem meam. *Hanc explicationem declarat exemplo Abrahami, qui diu ante oblationem Isaaci justificatus fuit, ut constat ex Historia Genes.12, unde Epistola ad Hebræos inquit, c.11.v.8.* FIDE, qui vocatur, obedivit in locum exire, quem accepturus erat. *Et tamen dicitur à Jacobo immolatione Isaaci justificatus, id est, justus coràm hominibus declaratus. His non tantùm consentit ipse Apostolus Paulus Rom.4.v.1.&c. Item Augustinus super Psal.31. sed etiam Glossa ordinaria, quæ super verba hæc Jacob.2. ita habet:* Abraham per opera, quæ fecit,

fecit, justus non fuit, sed SOLA FIDE: oblatio verò ejus est opus & TESTIMOMIUM Fidei & Justitiæ. *Imò Thomas Aquinas in cap. 3. Gal. ita scribit:* Dicendum, quòd nemo justificatur in lege, h. e, per legem, nam per eam cognitio quidem peccati habebatur, *ut dicitur Rom 3.* Sed non habebatur per eam justificatio, ex operibus enim nemo justificatur. Opera enim non sunt causa, quod aliquis sit justus apud Deum, sed potius executiones & MANIFESTATIONES justitiæ. *Idem sibi ipsi objicit:* Sed contrà *Jacob.* 2. dicitur: Nonne Abraham ex operibus justificatus est? Respondeo, inquit, Dicendum, quod justificare potest accipi dupliciter, vel quantum ad Executionem justitiæ, vel quantum ad MANIFESTATIONEM, & hoc modo homo iustificatur, id est, iustus OSTENDITUR ex operibus. *Idem in Explanatione Epistolæ Jacobi, locum capitis 2. ita exponit:* Hic loquitur de operibus sequentibus, quæ dicuntur iustificare, &c. *Idem ait:* Jacobus docet opera iustificare ostensivè non causativè. *Hæc D. Thomas, cujus sententiæ utrum refragari velint aut possint Lojolitæ, secum deliberent. Nos existimamus hac ratione Paulum & Jacobum optimè conciliari. Nam quæ Bellarminus & alij disputant, quasi Paulus de prima; Jacobus verò de secunda loquatur justificatione, omni carent fundamento Scripturæ, quæ docet; omnes justificari uno eodemq; modo coram Deo Act 15. v. 11. Rom. 4. v 23. uti alibi occasione datâ fusius demonstravimus.* NB.

In SECUNDO *meæ probationis fundamento ex idiomate Germanico petito duo regerit Adversarius, quorum alterum Personale alterum Reale.* Personale hoc: *Neque*

Lutherum neq; me judicare posse de idiomate purè Germanico, cum simus Saxones & ut ille scabiosè loquitur, **Dat vnd Quatländer** / *quibus verbis ironicè omnes è Saxonia oriundos perstringit.*

Respondeo I. cum audiam ipsum Apostatam natum esse sub Illustr. Saxoniæ Electore, in mentem ipsi revoco Proverbium Germanicum sermone tritum: **Es ist ein böser Vogel der sein eygen Nest beschmeißt.** *II. Objectionem hanc retorqueo in Adversarium & quæro; utrum Bellarminus Italus, aut Gregorius de Valentia Hispanus melius judicium ferre possint de puritate Linguæ Germanicæ, quàm Lutherus vel alij in ipsa Germania nati & educati? Et hoc est quod D. Mentzerus scribit contra Apostatam Pistorium disput. 5. th. 273.* Neque hic de numero dictionum, sed de phrasi Germanica quæstio est, & eius genuina sententia. De qua non est audiendum iudicium Italorum & Hispanorum, aliorumq; qui germanicè loqui nesciunt, sed adeundi sunt homines Germani, intelligentes idioma & ἔτιφασιν, *&c. III. Res ipsa loquitur, & fatentur omnes etiam Politici, in Lingua Germanica probè exercitati, Lutherum tàm purè & tersè Biblia Germanicè vertisse, ut nemo illo meliùs & tersiùs. Conferant Lojolitæ vel Dietenbergeri vel Eccij vel alias quas habent versiones Germanicas cum Lutheri versione, & postea absq; præjudicio judicent, quæ præferenda.*

Reale *Adversarij argumentum petitur à simili: Quemadmodum in Germanica Lingua non licet ita concludere: Titius occidit Sempronium cultro. E. Solo cultro; quia & gladio interficere potuit. Sic non sequitur. Homo justificatur operibus. E. Solis operibus. Est enim hæc consequentia admodum puerilis, &, ut Apostata loquitur,* **Ein Schülerische consequentz.**

Reſpondeo, novimus Dei beneficio, ac quotidiè docemus quæ ſit vera conſequentia, quæ ſit falſa. Diſce autem tu vel à nobis Apoſtata diſtinguere inter argumenta Conſentanea & Diſſentanea ſeu oppoſita. Seu, inter Subalternationem & Oppoſitionem. Alia ratio eſt, quando ex argumentis Conſentaneis ejusmodi necto conſequentiam: Hic interfecit alium cultro, E. ſolo cultro. Conſequentia hæc non neceſſaria. Longè verò alia ratio, quando cultrum & gladium oppono, & ex argumentis Diſſentaneis talem conſequentiam necto: Hic, qui inſtructus fuit tantum cultro & gladio, alium transfixit aut gladio aut cultro: ſed non gladio: E. ſolo cultro. Hæc conſequentia eſt neceſſaria. Atq; ita ex fundamento Apoſtolico ſequitur hæc conſequentia, Juſtificamur aut operibus aut fide, ſed non operibus. E. Sola fide. qua de re ſupra.

Contra TERTIUM probationis fundamentum ex Teſtimonio Patrum petito multa excipit Adverſarius, quæ nihil ad rem. Dicit enim, me factum hoc Lutheri defendere non poſſe autoritate Patrum, cum Lutherus Patrum autoritatem ſæpius rejecerit. Imò ſubjicit Apoſtata: Lutherum non opus habere ullâ defenſione, cum ipſemet ſcribat ad amicum, rationem hujus Particulæ (Allein) petentem:

Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.

Reſpondeo, Sunt hæc Generalia Domine Apoſtata. Lutherus non ſimpliciter iſta, ſed ſuo certo reſpectu & fine ſcripſit. Nam quod autoritatem Patrum attinet, iſtam non abſolutè & ſemper, ſed tùm, quando autoritati Scripturæ S. opponeretur, rejecit. Neq; hac in parte ullam ulli Patri injuriam fecit, cum ipſimet Patres apertè fateantur, ſe erroribus eſſe obnoxios, atq; ſua ſcripta non præponi ſed ſupponi Scripturæ Divinæ debere. Hinc D. Baſilius: Non negamus nos infinitis

erroribus ſubiectos eſſe, cum homines ſimus & in carne vivamus. *Hinc Auguſtinus:* Aufferantur de medio chartæ noſtræ, procedat in medium codex Dei, audi veritatem loquentem, audi Chriſtum dicentem. *Idem*, Ego Cypriani autoritate non teneor, quia literas Cypriani non ut Canonicas habeo, ſed eas ex Canonicis conſidero, & quod in eis Divinarum Scripturarum autoritati convenit, cum laude eius accipio: quod autem non congruit, cum pace eius reſpuo. *Idem*: Nec TE, mi frater, ſentire aliquid aliter exiſtimo. Prorſus, inquam, non arbitror, tuos libros ita legi velle, tanquam Prophetarum & Apoſtolorum. Abſit hoc à pia humilitate, & veraci de temetipſo cogitatione. *At objici objiciat quis: Patres Biblico textui particulã Solam non inſeruerunt, prout Lutherus. Reſp. Lutherum non fuiſſe primum qui hanc voculam inſeruerit. Fecit id verſio Syriaca, fecit Italica, fecerunt aliquot Germanicæ longe ante Luther. uti oſtendimus. 2. Patres tamen ſuis Bibliorum Explicationibus particulam* SOLAM *aliquoties addiderunt. Explicatio vero vera à Textu non eſt aliena, ſed eidem conformis, imo ex Textus viſceribus petita.*

Ad verba Lutheri:Sic volo ſic jubeo, &c. Reſp. Diſtingue Apoſtata objecta, & concordabunt verba Lutheri cum Scriptura. Epiſtola illa eſt bimembris: Membrum prius reſpicit Papicolas contumaces & præfractos, qui nullam, etiam ſolidam hujus additæ particulæ (Allein) *rationem admittere volebant; ideoq; Lutherus hos amplius nullâ reſponſione dignos judicavit aliâ, quàm hac:Sic volo ſic jubeo &c. Neq; hac in parte peccavit Lutherus, quippe cum ex mandato Salomonis Proverb. 26. v. 4.* Non reſpondendum, ſtulto ſecundum

dum ſtultitiam, &c. *Et exemplo Pauli, Gal. 2, 5.* Hoſtibus veritatis, ne quidem ad horam cedendum *ſciebat. Poſterius Epiſtolæ membrum reſpicit Amicum, & alios veritatis amantes, quibus rationes ſufficientiſſimas, additæ hujus excluſivæ particulæ, reddit. Illos his verbis notat:* **Wann ewer Papiſt ſich vil vnnütz machen will mit dem Wort (SOLA, Allein) ſo ſagt jhm Doctor Luther wils alſo haben/vnd ſpricht:** *Sic volo ſic jubeo, &c. Hos hiſce alloquere verbis:* **Euch aber vnd den vnſern wil ich anzeigen/ warumb ich das Wort (SOLA) hab wollen brauchen/ꝛc.** *Vide Tom. 5. Ienen. fol. 140. &c.*


Contra QUINTUM *probationis noſtræ argumentum ex jure Canonico deprompium multa declamavit Adverſarius, aliquot poſt-concionibus, cumprimis exagitando me meumq́ officium, quo autoritate publicâ legitimè fungor; quæ convitia ad Suum Autorem relego. Exiſtimat verò Apoſtata, ſe in C. Charitas, Diſtinct. 2. de Pœnit. (quod quidem in Diſputatione ipſa non allegavi, ſed per ſchedulam à quodam Pontificiæ Religionis ſocio rogatus, citavi) reperiſſe, non quod pueri in faba. Verba iſtius Capituli à me allegata ita habent:* Quod ſi charitas à fide Chriſtianorum ſeiungi nequit, cui ſcilicet ſoli venia promittitur, quomodo, qui Charitatem non habuerit, fidem Chriſtianorum habuit? *Hinc Adverſarius ita concludit:*

Si Charitas à fide Chriſtianorum ſejungi nequit: E. non ſola fides, ſed Charitas cum fide juſtificat. Verum Antecedens ex c. allegato. E. & Conſequens.

Reſpondeo: Nullam planè eſſe rationem connexionis in Argumento, quod fluit ex principio omnibus quidem Lojolitis uſitato, ſed admodum falſo:

Quæ ſimul ſunt, ſimul operantur: *Non enim Lu-*

therus unquam negavit (quod tamen facit Bellarminus l.1. de justificat. c.15.) Fidem veram esse planè absq; operibus Charitatis, Justitiæ, &c. sed hoc negavit, & nos cum ipso negamus; Opera illa simul cum fide justificare, & eundem effectum habere. Non enim necesse est, ut quæ simul sunt, simul & simili modo operentur, uti exemplis clarè ostendit Lutherus, verbis sub initium hujus quæstionis citatis. Ergo quemadmodum non sequitur: Homo qui scribit non est absq; capite, auribus, oculis, &c. Ergo non solâ manu sed & capite, auribus, &c. scribit. Item: Apostata concionatur non absq; pileo suo quadricorni, E. non solo ore, sed & pileo concionatur: Sic non sequitur: Fides non est absque charitate, aliis operibus. E. non SOLA *sed cum charitate aliisq; operibus justificat. Ratio est, quia non semper, quæ simul sunt, simul eodem modo operantur. Atque ex hoc fundamento patet responsio ad reliqua omnia Argumenta similia, quæ produxit Apostata ex aliis Juris canonici locis, quibus vel Charitas, vel Justitia vel alia quæpiam virtus, Fidei adjungitur. Neque opus fuisset provocatione istâ solenni ad omnes Jurisconsultos, ut litem hanc inter nos dirimerent; cum argumentum Apostatæ non tàm arduum, ut foro Juridico indigeat, sed Logico dissolvi queat. In reliquis hujus quæstionis tertiæ membris nil præter probationem desideravit Adversarius: quam in confirmatione cujuslibet membri jam dedimus. Quæ si non sufficiens videbitur Adversario, poterit nos de omissis admonere, & pro re nata uberiorem nostræ sententiæ confirmationem exspectare.*



QUÆ-

QUÆSTIO IV.

ita habet

An Lutherus, 2. Pet. 1, 10. vulgatæ versionis (falsò dictæ Hieronymi) verba, PER BONA OPERA, iure in translatione Germanica omiserit? *A.*

APOLOGIA.

FUndamenta *nostræ sententiæ hoc comprehendimus Syllogismo:*

Quæcunq; verba nec in ipso fonte continentur, nec salvâ Scripturæ sacræ autoritate adhibentur; illa jure à Luthero omissa sunt:

Atqui verba (per bona opera) 2. Pet. 1, 10. nec continentur in fonte, nec salvâ Scripturæ S. autoritate adhibentur:

E. Illa jure à Luthero omissa sunt.

Major sua radiat luce: Minor probatur. 1. quoad fontem Novi T. Græcum: siquidem nullum dari potest exemplar, quo contineantur hæc verba: Hinc Erasmus in Annot. N. T. super hæc ipsa vulgatæ versionis verba, 2. Petr. 1. ita scribit: (ut per bona opera) Per bona opera, apud GRÆCOS non reperio additum. 2. *Quoad autoritatem Scripturæ, Ea, siquidem apertè testatur Christum (&, sic correlatum ejus, nimirum Fidem;) non bona opera esse, & principium, & medium, & finem Salutis nostræ. Illustris locus est Paulinus Roman. 5. v. 1. 2.* Justificati igitur ex fide per Christum, per quem habemus accessum *(principium)* per fidem in gratiam istam; in qua *(medium)* stamus; & gloriamur, in spe *(Finis)* gloriæ filiorum DEI. *Similis locus habetur, 1. Cor. 15. v. 1. 2.*

Notum autem vobis facio fratres Evangelium, quod prædicavi nobis, quod & *(initium)* accepistis; in quo & *(Medium)* statis, per quod & *(Finis)* Salvamini. *Imò ipse Apostolus Petrus. 1. Epist. c. 1. v. 5. inquit:* Virtute DEI custodimini PER FIDEM IN SALUTEM. *& vers. 9. asserit;* Salutem animarum nostrarum esse FIDEI *(non operum)* finem. *Sic Epist. Hebr. c. 12. v. 2. vocat* JESUM *(non bona opera)* Autorem & τελειωτὴν seu consumatorem Fidei. *Neque valet illatio: per peccata contra conscientiam admissa, salutem amitti. Ergo per bona opera Conservari. Nam ipsa etiam fides excutitur per peccata regnantia. Ergóne dicemus, per bona opera fidem acquiri & conservari? Elenchus est contrariorum.*

Adversarius duo hîc opposuit. 1. vulgatam versionem non falsò sed verè adscribi Hieronymo. 2. Allegavit nescio quòd exemplar Græcum, in quo contineantur verba hæc: Per bona opera. *Resp. ordine retrogrado primò, quoad posterius:* Manus nostræ sunt oculatæ credunt quod vident. *Neque tam obesæ naris sumus, ut dolos Lojoliticos non olfaciamus, quibus insolitum minimè est, ad eludenda nostra argumenta comminisci, aliter habere exemplar, nuper in Bibliotheca Vaticana vel alibi (fortè in* Utopia*) repertum. Nam mentiri in honorem & emolumentum sedis Pontificiæ, non est illis peccatum, sed eximius Dei cultus. Sic Bellarminus l. 2. de verbo Dei scripto, c. 12. fingit, se vidisse* unum *Codicem Hebræum, in quo Genes. 3. v. 15. legatur hi illa: Sed locum ubi viderit non allegat. Forsan in eadem Bibliotheca habetur Codex nostri Apostatæ Græcus, in qua Bellarmini Hebræus, id est, nullibi. Erasmus certè planè contrarium astruit, dum non in singulari, sed in plurali numero;* apud GRÆCOS,

inquit, non reperio. *Et nil dubitamus quin Erasmus plures Codices Græcos legerit, quàm Apostata viderit: Sed posito, non concesso, dari* unum *Codicem, in quo contineantur hæc verba; num ille præjudicabit reliquis omnibus codicibus Græcis? num derogabit aliquid toti Scripturæ sacræ, quæ testatur, & initium & Medium & finem Salutis nostræ dependere non ab operibus, sed à Fide in Christum?*

Deinde quoad prius; versionem nim. vulgatam falsò adscribi Hieronymo his probamus rationibus. 1. Quia Hieronymus longè aliter reddit Scripturæ dicta Latinè, quàm vulgata versio. 2. Quia emendat & reprehendit vulgatam versionem, plurimis in locis, ut ostendit VVhitakerus de Scriptura S. controv. 1. quæst. 2. c. 6. 3. Quia vulgata versio in infinitis ferè locis discrepat ab Hebræa, ut patet ex translatione ipsorum Pontificiorum Pagnini & Ariæ Montani. Atqui Hieronymus Epist. 133. expreßè scribit: Confidenter dicam, & multos hujus operis testes citabo, me nihil sententiæ de veritate Hebraica mutasse. 4. *Quia vulgata versio tot solæcismis & barbarismis scatet, ut Hieronymo, asscribi absque pudore non possit. Sed coguntur versionem hanc magnifacere Lojolitæ: propter Conciliabulum Tridentinū, quod versionem hanc barbaram Canonizavit, ideoq; Hieronymi autoritate errorem Concilij istius crassum, palliare student Papicolæ. Cæterum in gratiam Lojoliticæ Sodalitatis subiicere lubet ex D. Hunnio Cont. Bellarm. Argumentum Scholasticum, quale pueris in schola proponi solet in Latinam Linguam ex solæcismis & barbarismis vulgatæ istius versionis vertendum. Id verò Germanicè sic habet:* **Gott ist kein Versucher zum bösen/ dann er hasset die Gotlosen / vnd hat mit jhnen kein gemeinschaft/ Er gedencket aber der Frommen. Der-**

 halben

halben o jhr faule Bäuch/ jhr junge viereckete Mönch/ die jhr vnder der Kappen beschohren vnd geölet seyt/ höret zu: Jhr scheinet zwar von aussen heilig/ vnd gelehrt/ aber inwendig seyt jhr vngelehrt vnd vnbendig/ vnd ist bekandt ewer vngeschickligkeit vnd Boßheit/ welche euch der Müssiggang lehret. So forschet nun ewern Geist/ vnd thut buß/ hasset das Böse/ vnderlasset die Feindschaft/ vnd höret auf das Evangelium zu verfolgen ohne Vrsach/ vnd nötiget die Lutheraner nicht zu ewerer falschen Lehr/ thut aber besser als jhr bisher gethan/ auf daß jhr mehr Frucht bringet/ vnd mit gutem erfüllet werdet. Wo nicht so wirdt Gott auffstehn/ vnd seine Pfeil zurichten zur Rach/ vnd mit dem Besem des verderbens außkehren. Alsdann werden die hungerige Landsknecht ewere Güter vnder sich theilen/ vnd Männer/ von denen mans nicht gedacht hette/ ewere äcker abmessen vnd verzehren/ was im Kloster vbrig ist: Jhr aber wol abgeblawet/ werdet draussen vor dem Thor stehen/ als trunckene vom Wein/ vnd erstarret/ vnd hülffloß vnd dreymal anklopffen zugleich/ vnd wann jhr nicht eyngelassen werdet/ vnd lauffen eine Meil wegs/ vnd noch zwo andere vnd also außgeschlossen/ werdet jhr frühe dem Bapst zulauffen in grosser kälte/ vnd zu jhm sagen: Allerheiligster Vatter: Grewliche vnnd vngehorsame Männer haben vns herauß gestossen aus vnsern Klöstern. Alsdann wird der Bapst zu euch sagen: Jhr liebe Söhne/ jhr meine Creaturen/ die jhr nun ein Schiffbruch erlitten habet: seyt gedultig vnd lasset euch deß nicht verdriessen auf sie: dann wer sich mein schämet/ deß wil ich mich auch schämen/ vnd wil jhm wider schaden thun: doch wollet jetzt in die Küchen gehen/ daß jhr wider warm werdet: Aber in

disen Worten werdet jhr keinen trost haben / auch werdet jhr nicht lang trawren können / sondern mit dem Bapst in die tieffe des Pfuls geworffen werden / da der Höllische Wurm ewere Hertzen nagen wirdt.

Was dann ewere Nonnen betrift / warumb freyen sie nicht / vnd lassen sich nicht freyen? Sie verlassen sich zwar auf jhr Werck / vnd achten dieselben für köstlich / aber Gott hat kein gefallen daran. Stoltz sind sie / vnd geschwetzig / vnd vngezogen vnnd halten jhre Begirde nicht im zaum. Darumb werden sie ernidriget werden / von der grösse jhres stoltzes / sie gedencken nicht daß Gott die Hoffertigen hasset / vnd nimt auf die demütigen / wie er den David von den säugenden Schaffen geholet vnd zum König seines Volcks gemacht hat. Dann vmb jhrer Demuht willen / werden die demütige nichts desto geringer.

VERSIO LATINA EX VULGATA TRANSLATIONE BIBLIORUM.

DEus a *intentator est malorum, odivit* b *enim impios, & non* c *coutitur illis, memoratur* d *autem piorum. Ergo, ô ignavæ* e *ventres vos novi quadrati Monachi, qui sub capitio* f *estis interrasiles,* g *& oleati,* h *attendite. Vos apparescitis* i *quidem deforis* k *sancti & docti, sed ab* l *intus estis indocti & infruniti,* m *& nota est vestra ineruditio,* n *& malitia, quam docet vos ociositas.* o *Scopite* p *autem Spiritum vestrum, & pœnitemini,* q *odite* r *malum, desinite* s *inimicari, & cessate Evangelium oppugnare gratis,* t *nec angariate* v *Lutheranos ad falsam doctrinam vestram sed meliora* x *ho-*

a *Iacob 2,13.* b *Psal. 25,5.* c *Ioan. 4,9.* d *Luc. 1,54.* e *Luc. 23,29.* f *Exod. 25.* g *Exod. 25.* h *Num. 11,8.* i *4. Esd. 7,26.* k *Genes. 7,16.* l *Psal. 45.* m *Eccl. 23,6.* n *Eccl. 4,30.* o *Eccles. 33.* p *Psal. 77.* q *Actor. 3,19.* r *Psal. 96,11.* s *Eccles. 28,6.* t *Psal. 118.* v *Matth. 5,41.* x *Ioan. 14,12.*

y Ioan.15,2. rum facite, quæ fecistis, ut fructum plus y afferatis & implea-
z Mat.22 10. mini z bonorum. Alias surget Deus & sagittas suas arden-
a) Psal.7,14. tibus (a) efficiet, & scopabit (b) vos in scopa terens: Tunc par-
b) Esa.14,23. tibuntur (c) famelici milites substantiam vestram & insuspi-
c) Psal.59,6. cabiles (d) viri metibuntur (e) agros vestros, & quod reliquum
d) Eccl.25,9. est in monasterio, consummabunt (f). Vos autem bene (g) pla-
e) Psal.59,6. gati stabitis foras (h) portam, quasi crapulati (i) à vino &
f) Luc.15,4. poriati (k) & ex tunc (l) insubsidiati (m) & inauxilia-
g) Zac 13 6. ti (n) pulsabitis per (o) ter, in id ipsum: (p) Non intromissi
h) Act.16,13. murmurabimini, (q) & curretis passus mille & alia (r) duo.
i) Psal.77,7. Sic exclusi manicabitis (s) in magno frigore ad Papam & di-
k) Esa.59,16. cetis illi: Sanctissime Pater, viri abominati (t) & incredibiles
l) Psal.92,3. (u) emigrarunt (x) nos ex monasteriis nostris. Tunc Papa di-
m) 3 Esd.9,11. cet: Dilecti filij, vos ô creaturæ meæ: qui (y) in præsentiarum
n) Sap.12,16. (z) naufragavistis, estote patientes, neq; zelate a ipsos, qui
o) Act.10,16. enim me confusus b fuerit, & ego confundar c illum, & ite-
p) Psal.121,3. rum nocebo d illum. Veruntamen introite jam in culinam, ut
q) Exod.16,8. calefaciamini. e Sed hoc sermone non consolabimini, f nec
r) Matt.5,41. continget vobis longiturnitas, g sed una cum Papa deiiciemi-
s) Luc.21,38. ni in profundum h loci, ubi vermis infernalis elinget i corda
t) Tit.1,16. vestra.
u) Ibid.
x) Psal.51,5.
y) Gen.50,20.
z) 1.Tim.1.19.

a Psal.36,1. Sed & Monachæ vestræ, cur neq; nubunt k, neq; nubun-
b Marc.8,38. tur? Supersperant l quidem illæ in operibus suis & appretiant
c Ibid. m ea pretio magno: sed Deus illis non promeretur. n Superbæ
d Actor.7,26. sunt & linguatæ o & indisciplinatæ, p nec dominantur q af-
e Iacob.2,16. fectuum suorum; ideo fient in deminoratione r, propter nimie-
f Matth.5,5. tatem s superbiæ suæ. Non memorantur t, quod Deus odivit
g Baruch.3,13. superbos & recipit humiles.

h Esa.14,15. i Baruch.6,19. k Matth.22,30. l Ps.115,74. m Zach.11,13. n Hebr. 13,16. o Eccles.25,26. p Eccles.7,17. q Psalm.10. r Eccles.22,3. s Sapient.4,4. t Luc.1,54.

Sicut Davidem de post fœtantes † accepit & fecit Regem † Psa.77,76.
*populi sui. Nam humiles propter suam humilitatem non minorabunt *. Huc usq; Argumentum Scholasticum. Si hunc* * 2.Cor.8,15.
in modum vertat Argumentum Germanicum puer aliquis in Scholis, vapularet meritissimè. Et tamen etiamnum hodiè Lojolitæ versionem hanc nimis quàm puerilem adscribere D. Hieronymo, viro Linguarum peritissimo, nil erubescunt. Et tantum de Quæstione Quarta. Reliqua, quæ huc attulit Apostata, sunt scurrilia & refutatione indigna.

QUÆSTIO V.

Seu ultima Disputationis

Primæ ita habet:

An Lutherus Verba Paulina, 1.Cor.9,5. hæreticè, & contra scopum Paulinum verterit? N.

APOLOGIA.

V*Erba Paulina ita habent:* Nunquid non habemus potestatem mulierculam sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli? *De horum verborum vero sensu disputatur in Ecclesia. Nostri quidem Doctores ex Apostolici textus consequentia statuunt Paulum loqui de legitima uxore, & ostendere, Paulum uxorem suam secum habuisse in peregrinationibus, propagandæ doctrinæ gratia susceptis. Lojolitæ Paulum putant agere de mulierculis opulentis, voto perpetui cœlibatus constrictis, quæ Apostolos sua comitabantur sponte, eisdemq; suppeditabant aliqua ad victum necessaria, sicuti de Christo dicitur Luc.8. Breviter dicendo:* Quæritur: utrum Apostolus Paulus per uxorem in-

telligat uxorem propriam seu legitimam; An verò alienam? *Prius affirmat Lutherus in sua versione; Posterius Adversarij, quorum sententiam hoc refutamus Syllogismo:*

Quæcunq; sententia pugnat. I. Cum veritate Historica. II. Scopo Paulino. III. Veteris Ecclesiæ testimonio; illa meritò rejicienda.

Atqui sententia Adversariorum hoc in loco pugnat. 1. Cum veritate Historica. 2. Scopo Paulino. 3. Veteris Ecclesiæ testimonio.

E. meritò rejicienda, & per Consequens Lutheri præferenda.

Minor ordine probatur.

I. Pugnat hæc Adversariorum interpretatio cum veritate Historica. Etenim de Christo matronis quidem comitato & officiis earundem adjuto, perspicua extant testimonia. De Apostolis verò ne unum quidem: imò ne testimonij quidem indicium.

II. Pugnat eadem interpretatio cum Scopo Paulino, quod probatur his rationibus. 1. Petitur à gratuita Pauli prædicatione. *Etenim 2. Cor. 11. & 12. Item 1. Cor. 4, 12. gloriatur Paulus, se gratis prædicasse Evangelium, & pro acquirendo victu, sese manibus suis laborâsse. Atqui de isto gloriari non potuit, hoc verò, facto non opus fuit, si sumptus ipsi à comitatu matronum liberaliter suppeditati fuerunt. Adde, quod Apostolus jure suo in exigendis sumptibus se non usum fuisse scribit, ne gravaret Corinthios. Atqui grave illis esse non potuit, si à matronis victus & sumptus ipsi communicatus fuit. 2. Petitur* ab Individui certi Notatione. *Christo mulieres officium istud præstabant complures. Paulus verò de*

una

una *loquitur, cui non poterat non in perpetuis peregrinationibus gravis eſſe ſumptus, quem abſens à bonis ſuis, pro Apoſtolo factura erat. Huc accedit* ἐπεξήγησις *addita. Nam Sororis vocabulo addit nomen* γυναικὸς *mulieris, quâ non fuiſſet opus, ſi mulierem ſimpliciter aut matronam voluiſſet intellectam. Nulla enim ſoror maſculus eſt. Reſtat ergo, ut non ſexus, ſed conjugij notam vocabulum iſtud habeat. 3. Petitur* à Circumductionis Deſcriptione. *Circumducendi* (περιάγειν) *enim vox planè reclamat interpretationi Adverſariorum. Nam matronæ ſequebantur Chriſtum, quod ſpontaneum atq; arbitrarium erat. Circumducere verò poteſtatis eſt quæ non eſt viro, niſi in eam, quæ legitimè ipſi juncta eſt. 4. Petitur* à juris conjugalis remiſſione. *Dicit enim Paulus, ſe jure ſuo cedere in eo, quod mulierem non circumducat. At circumducere matronas, juris eſt nullius, quo cedere quisquam dici poſſit. 5. Petitur* ab Honeſtatis Natura & Conſideratione. *Etenim quæ ſpecies Honeſtatis futura fuiſſet, ſi Apoſtoli relictis propriis uxoribus, alienas circumduxiſſent.*

III. Pugnat interpretatio Adverſariorum cum veteris Eccleſiæ Teſtimonio. Vetuſtiſſimi enim & temporibus ipſis Apoſtolicis viciniſſimi ſcriptores affirmant, Paulo & reliquis Apoſtolis uxores fuiſſe. Ita Ignatius *in Epiſt. ad Philadelphenſes ſcribit:* Non detraho cæteris beatis, qui nuptiis copulati fuerunt. Opto enim Deo dignus ad veſtigia eorum, in Regno ipſius inveniri, ſicut Abraham, & Iſaac, & Jacob, ſicut Joſeph & Eſaias & cæteri Prophetæ, ſicut PETRUS & PAULUS, & RELIQUI APOSTOLI, qui nuptiis fuerunt ſociati, qui non libidinis cauſa, ſed poſteritatis ſubrogandę gratia conjuges habuerunt. *Conſentit huic Clemens Alex. Qui re-*

citante Eusebio, adversus eos scribens, qui conjugium damnabant, inter alia sic inquit : An & Apostolos improbant? Petrus enim atq; Philippus & uxores habuerunt, & filias etiam viris nuptum dederunt. *Atqui hinc est quod Clemens Alexand. disertè l.3. Stromatum, locum hunc 1.Corint.9,5. de Apostolorum conjugio intellexit. Et Euseb.l.3. c.30. repetens Clementis verba, confirmat, & simul ex lib.7. Stromat. historiam de martyrio uxoris Petri commemorat. Erasmus super hæc Apostoli verba scribit :* Certè Clemens locũ hunc adducit, quo doceat Paulo fuisse uxorem.

Objicit verò Adversarius : Apostolum non dixisse potestatem habeo mulierem ducendi, ne de uxore dicere putaretur: sed Circumducendi *per Provincias, quæ necessaria de suis facultatibus ministraret. Atqui frivola hæc est objectio. Quia enim ductas jam uxores habebant, denuò ducendi non fuit potestas : sed ductas duntaxat Circumducendi. Quin & circumduci honestè, nisi ductæ prius, planè non poterant. Haud absimile Alterum Adversarij est Cavillum, quod in* Sororis *vocabulo quærit. Soror enim hîc non fœminam alienam, sed propriam Fidei Christianæ addictam significat, interprete etiam Erasmo l. d. quæ significatio Scripturæ usitata est. Hinc Christus Sponsus, Sponsam suam Ecclesiam, vocat Sororem inquiens;* Soror *mea Sponsa. Et in Marco inquit de Credentibus: Qui fecerit voluntatem Dei, hic frater meus &* SOROR *mea, & mater est.*

Cantic. Cantic. 5, 1.

Marc. 3, 35.

Sic Fratres & Sorores dicti olim sunt omnes pij ejusdemq; Religionis participes, qui se postea Christianos vocârunt.

Atq; hæc pro defensione Quæstionum Theologicarum primæ nostræ Disp. dixisse sufficiant. Tandem libuit Adversario vellicare porisma Disputationis ejusdem Quintum Philosophicum, quod ita habet.

An

An per Philoſophiam & cultum rationis DEO præſtitum ſaniores Ethnici fuerunt Salvati? N. Contra Calvinianos & Pontificios.

APOLOGIA.

HIc tragicè exclamavit Apoſtata: Se non ſatis mirari poſſe extremam fatuitatem, ſtoliditatem & inſcitiam meam, quod audeam Pontificiis & Calvinianis ea affingere, quæ ipſis ne quidem per febrim unquam in mentē venerunt, quæ nunquam vel dixère vel ſcripsêre; unde provocavit ad Scripta omnium Pontificiorum & Calviniſtarum ſanctè affirmando, nullum, nullum, nullum Apicem in horum libris inveniri, quo hujus erroris vel Calvinianorum vel Pontificiorum ullus cōvinci poſſet. Miteſce Heraclite & hunc Syllogiſmum capeſce.

Quicunq́; docent Ethnicorum opera. 1. Deo placere. 2. Salutem conſequi æternam. 3 mereri de congruo gratiam & vitam æternam. 4. mereri ex congruo gratiam juſtificationis: 4. Ethnicosq́ apud Superos quietam vitam agere, & pro nobis orare: illi Ethnicos ſalvari credunt.

Atqui Pontificij & Lojolitæ hoc docent.

E Ethnicos ſalvari credunt.

Minorem ordine probo: 1. Salmeron tom. 15. p. 41. ſcribit: Infidelium opera Legi naturæ conformia Deo ſunt grata. 2. *Anno 1552. Concil. Tridenti fervente, Franciſcanus quidam publicè pro Concione, cum cap. 2. Rom. explicaret, inculcavit auditoribus ſuis:* Eos qui Chriſti cognitionem non habuerint, honeſtè autem vixerint, Salutem eſſe Conſecutos, *teſte Sleidano l. 23. Andradius Concilij Triden. interpres, adverſus Chemnitium ſcribit:* Num tu Chemniti gentiles illa fide deſtitutos dices, per quam impius

Justificatur & ex qua justus vivit. *3. Scholastici & Pontificij Doctores plerique sentiunt:* Hominem nondum ad Deum conversū, mereri posse de congruo suis operibus, è naturæ viribus profectis, immediatè gratiam justificationis & mediatè vitam æternam. *Hinc disputāt,* homines primò Lege naturæ, deinde Lege gratiæ seu Mosis, tandem Lege Evangelii salvatos esse. *Latomus flagitiosè contendit;* Abrahamum non aliam de Christo doctrinā habuisse, quàm Socrates, Plato, aliiq; Ethnici habuerunt. 4. *Bellarm l.5. de justific c.23 scribit:* Potest homo nondum reconciliatus per opera pœnitentiæ impetrare & mereri ex congruo gratiā justificationis. 5. *Erasm. in Epist. præmissa Tusculanis Quæst. Cicer. sic scribit:* Ubi nunc agat anima Ciceronis, fortasse non est humani judicii pronunciare. Me certè non admodum aversum habituri sunt in ferendis calculis, qui sperāt, illum apud Superos quietam vitam agere. *Idem in Colloq. conviv. Relig.* Proinde, *inquit*, cum hujusmodi quædam lego de talibus viris, vix mihi tempero, quin dicam: *Sancte Socrates ora pro nobis. Ibid.* At ipse mihi sæpè numero non tempero, quin benè ominer, Sanctæ animæ Maronis & Flacci.

Quæro jam ex te Apostata: Num etiam hi Autores citati tibi sint Pontificij? credis opinor.

Ergo alterum quoad Calvinianos cape Syllogismum:

Quicunque Ethnicos in numerum Electorum & vitam æternam ponunt; ac Salutem Ethnicorum acriter defendunt, illi Ethnicos salvari statuunt:

Calviniani hoc faciunt:

E. Ethnicos salvari statuunt.

Minorem

Minorem probo ex multis Calvinianorum scriptis. Ita Zuvinglius in Expos. Fidei Christia. ad Regem Galliæ scribit: Hic in vita æterna, duos Adamos redemptum ac Redemptorem, hic Abelem, Enochum, Noam, Abrahamum, Isaacum, &c. hic Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, &c. Videbis. *Hinc D. Vitus Winshemius olim Professor Witebergensis Orthodoxus dicebat:* Optimi studiosi, Cavete vobis à cœlo Cinglianorum: Ego non libenter vellē esse in cœlo Cinglii; valde enim metuerem mihi à clava Herculis. *Errorem hunc Zuvinglij Albertus Hardenbergius Calvinista Bremensis sparsit, docens;* Platonem, Numam & alios honestiores Ethnicos inter Electos & Salvatorum numerum referendos esse. *Eundem errorem crassum defendit Daniel Tossanus contra Marbachium, p. 380. item Georgius Sohnius in Exeg. August. Confess. p. 828. Et cumprimis acerrimè Zuvinglium defendit Rudolph. Gualther. gener Zuvinglij in sua Apologia aliquot argumentis, partim ex Scriptura, partim ab autoritate Augustini, partim ex rationibus petitis; ad quæ omnia D. Joh. VVigandus respondit. VVigandum qui non habet, legat lib. quartū Theolog. Calvinist. Conrad. Schlüsselburgij, pag. 306. & seq.*

Agnoscis ne & hosce pro Calvinianis Apostata? utique. Desine ergo mihi objicere fatuitatem, stoliditatem ac ignorantiam. Sapientiam quam vobis imaginamini, Deus unà cum mundi Sapientia jam dudum infatuavit, & stultam fecit, 1. Cor. 1, 20. Tuam verò crassam ignorantiam prodidisti in eo, quod Calvinianorū Vestrorumq; de Ethnicorum salute sententiam nesciveris. Ergo cum nulla ætas ad discendum sit sera, discas à nobis iam grandevior factus hæc, quæ Minorennis in

hac

hac nostra Schola discere potuisses, nisi nimis maturè à nobis exiisses, & te (quâ cum venia & gratia nosti) subduxisses.

En habes primæ meæ Disputationis Apologiam, desiderio à Te desideratam quàm filiam meam indigitare tibi placuit, cum qua saltandū fuerit tuis filiis Theologiæ videl. practicæ studiosis, Te in specula constituto & cum interioris animi gaudio contemplante, Wie sie mit meiner Tochter werden herumb springen. *Quod si benè saltaverint mea cum filia tui filij, corollam reportabunt; Sin minus, veluti inepti saltatores spectatoribus se deridendos propinabunt. Tu verò vide ne futurus sis in illorum Speculatorum numero, de quibus Iehovah dicit:* Speculatores cæci omnes, nescierunt universi.

Esa. 56, 10.

Constitueram equidem & secundæ Disputationis meæ Apologiam contra Mendacia vestra consignare: quia verè illorum Mendaciorum Autor secundarius (primarium MENDACII PATREM *agnoscimus) nobis ignotus, ideoq; cum larvis & Lucifugis pugnare nolumus. Etenim si vos vestri pudet nominis & pudidæ mercis, pudet & nos fœtidam vestrā mercedē contrectare: Qualis merx improba & non cassâ nuce digna est fictitij Cassij crassi. Si tu istarum mercium autor, prodeas, larvam deponas, nomen tuum exponas, & brevi à nobis defensionem expectes. Hac vice vobis remittimus vestra mendacia, & Tibi comprimis convitia & dicteria, quibus me ultra anni quadrantem, in Suggestu publico proscidisti. De quibus, ut semel tibi aperiam meum judicium, constanter affirmo, scommata tua atq; dicteria, quæ solis Apostatis sunt longè dignissima, tàm me non curare, quàm corvorum aliarumq; obscœnarum avium per medium aërem volitantium crocitationes atq; garritus.*

Ex quo λοιδορίας *studio, si quid gaudij perceperis, per me frui tibi licebit; & ita quidem frui, ut pinguescas maledicendo. Pugnare si volueris imposterum mecum convitiis, palmam tibi etiam ante pugnam concedo. Si verò veritatis gratiâ, rem cum re, rationem cum ratione committere volueris, laborem & studium meum tibi offero, etiam inter varias occupationes, quibus à reb⁹ Theologicis invitus sæpè abstrahor. Vt valeas, resipisce, & dum adhuc tempus gratiæ, probè tecum expende, seriam Christi admonitionem Matth. 10, 33. Act. 9, 5. & severam Apostoli decisionem Heb. 6. v. 4. & seq.*

FINIS.

IDEA
BONI GYMNASII,

Hoc est:


ORATIO INAUGURALIS, HABITA IN INTRODUCTIONE GYMNASII LIBERÆ CIVITATIS SPIRENSIS, & Corona Virorum longè Nobilissima & Splendidissima Anno 1613. VI. Kalend. Junij.

à

JOHANNE HIMMELIO POMERANO, ejusdem Gymnasij Rectore primo.



SPIRÆ NEMETUM
Ex officina typographica Heliæ Kembachi.
ANNO MDCXIV.



VIRIS

AMPLISSIMIS, PRVDENTISSIMIS,

Inclytæ & Liberæ Imperialis Reipub.

SPIRENSIS

CONSVLIBVS, SENATORIBVS;

Dominis ac Mecœnatibus suis Gratiosissimis

S. P. P.



PRimitiæ olim Deo; has ego Scholasticarum frugum Vobis Diis Tutelaribus offero, consecro. Et quibus aliis? Vos Gymnasium hocce sumptu magno, Pietatis affectu majori, zelo veræ Religionis maximo, fundastis, erexistis. Munus itaq; hoc Scholasticum quod manu grata exhibeo, fronte serena excipite; & cumprimis Pium hoc & ad seros posteros omni laude condecorandum institutum in honorem Dei, & salutem Ecclesiæ ac Reipub. urgete; defendite contra insultus PA-
Joh. 8, 44. TRIS MENDACII (qui Ecclesiæ Christi, Sacellum Suum semper assuit) ejusdemq; progeniem malè feriatam, filios Mendacii & Tenebrarum; quibus Gymnasium hocce sudes in oculis, unde sudant & desudant quavis arte astuq;

ejus

eius cursum felicem non tantum remorari; sed &, quantum in ipsis est, sementem eiusdem suo lolio (quod clam & noctu dormientibus hominibus hinc inde spargunt isti Lucifugæ, exprimentes ingenium τοῦ ἐχθροῦ INIMICI Matth.13, 25.) in ipsa quasi herba extingere ac suffocare. Verum vana sine viribus ira. *Non est Sapientia, non est Prudentia, non est Con-* Prov.21,30.
silium contra Dominum: Qui θεομάχους *hosce irridet & subsannat*: Psal.2,4.
Qui *dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus illorum quod cœperunt*: Qui *apprehendit Sapientes in astutia, & consilia* Iob.5,12.
pravorum dissipat. Laxati quidem sunt eorum funiculi; sed non præ- Esa.33,23.
valebunt. Quis enim restitit Domino, & pacem habuit? Vos ergo Iob.9,4.
malè feriati Tenebriones, *congregamini & vincimini, confortamini & vincimini: Inite consilium, & dissipabitur, loquimini ver-* Esa.8,10.
bum, & non fiet, quia nobiscum Deus.

Vos verò Consules, Senatores, Amplissimi, Prudentissimi, DNN. Gratiosissimi, Valete diu Deo, Patriæ, & studia nostra Scholastica Vestro favore vero, & fervore sincero fovere ac amplecti pergite. Dabam Spiræ in Museo meo Anno M.DC.XIV. ipso CONCORDIÆ die, quo MEGALANDER LUTHERUS ante annos 68. piam Deo commendavit animam.

V. Ampl. & Prudent. debitâ
subject. devinctus

Himmelius Pomeranus
Gymnasii Vestri Rector.

B. F.

IN NOMINE
ADORANDÆ ET INDIVIDUÆ
TRINITATIS,

Autoritate

Amplissimi Prudentissimiq; SENATUS LIBERÆ IMPERIALIS CIVITATIS SPIRENSIS;


Ad diem Veneris proximum hora à pomeridiana I. suscipietur ac peragetur solemnis & publica Gymnasii nostri Spirensis, tùm inauguratio, tùm plenaria Rectoris, Con Rectoris, & II. Classis Præceptoris introductio. Ad huncce actum solemnem publicum, omnes cujuscunq; dignitatis, sortis & conditionis Lectores Candidos; Viros Magnificos, Nobiles, Reverendos, omniumq; facultatum ac scientiarum Doctores, Licentiatos, Candidatos, bonarum artium Fautores ac Patronos, præmissa debita cujuslibet honoris præfatione

EGO

JOHANNES HIMMELIUS Pomeranus, Gymnasii Spirensis RECTOR designatus invito, omnesq; ea qua par est animi demissione, observantia, benevolentia rogatos cupio, ut ad horam huic actui dictam, in Auditorio nostri Gymnasii publico pro eximia & singulari erga bonas artes favore comparere, actumq; nostrum sua excellenti & longè honorifica præsentia illustrare & condecorare haud gravatim velint. Singulis singulatim vicissim debitam observantiam, ac pro virili officia, modestè offero, & prolixè spondeo. Valete & studiis nostris favere pergite. P. P. SPIRÆ VI. Kalend. Jun. Anno

SanCtæ fVnDatIonIs pII GyMnasII SpIrensIs.

ORATIO



ORATIO JOHANNIS HIMMELII POMERANI, RECTORIS DE Idea Boni Gymnaſij.



Rinceps Philoſophorum Ariſtoteles 8. Pol. 1. in omnibus bene conſtitutis Rebusp. principalem curam eſſe debere, de inſtituenda & probe informanda juventute, argumentis & numero multis, & pondere graviſſimis erudite diſſerit; unde laudandos Lacædemonios cenſet, quod plurimam circa pueros, eamq; publicam diligentiam adhibuerint: Quæ enim, inquit, ad communem finem utilitatemq́ue civitatis ſpectant, in iis oportet omnes communiter à puero informatos eſſe, communemq́; ad virtutem curam adhiberi. Idem 5. Polit. 11. non Regum, ſed tyrannorum eſſe aſſerit, Scholas, Academiasque everſum ire. Divinus ille Plato, teſte Polyb. lib. 12. Hiſtor. dicere fertur ſolitus: Tum demum bene cum rebus humanis agi, quando

vel Philoſophi, hoc eſt, Sapientiæ ſtudioſi, regnarent, vel Reges philoſopharentur. Idem de M. Aurelio Antonino Philoſopho, Imperatore Romanorum XVII. referunt Hiſtorici, & in ſpecie Iulius Capitolinus in M. Anto. Philoſopho.

Quæ cum ita ſint, Viri omnium ordinum Magnificentiſſimi, Nobiliſſimi, Conſultiſſimi, Reverendi, Præſtantiſſimi, Doctiſſimi, quis non pium, probumq́; illum agnoſcat Magiſtratum, qui Conſtantini Magni, Juſtini, Theodoſii, Caroli Magni, aliorumq́; piorum Magiſtratuum exemplo, haut frigide, ſed fervide Scholarum curam procurant. Verum enim vero, quam præclara, tam rara hodie hæc cura in plerisq́; Rebuſpub. eſt, adeo quidem ut non minus graviter quam vere haut ignobilis ille Jurisconſultus. Joh. Althuſius in ſua de utilitate, neceſſitate, & antiquitate Scholarum Oratione Panegyrica Politicæ ſuæ affixa ſcripſerit: Dolendum eſt, inquiens, rem tam præclaram & generi humano neceſſariam, merita ſua laude carere. Nimirum vileſcunt nunc, & dixerim fere ſordeſcunt nobis Scholæ. Nam ſicut natura comparatum eſt, ut quod nobis carum & cordi, hoc perpetuo in ore & corde habeamus: ſic contra quod non magni facimus, negligere ſolemus: ſed & facile ejus rei, quæ ſubinde in oculos noſtros & manus incurrit, ex frequenti uſu ſatietas nos capit. Qua in re idem nobis quod pueris accidit. Hi cibo potuq́; ſatiati & repleti, panem quem tenent, in quodvis obvium ſcamnum, ſedile, vel terram projiciunt, de futura inedia & indigentia ſua nihil ſolliciti. Bonus vero Paterfamilias cui uſus & utilitas panis ad vitam hanc ſuſtentandam eſt cognita, etiam in copia & abundantia illius de futura neceſſitate cogitat, & de medijs quibus eundem

com-

comparare & conſervare, & reponere poſſit, ſollicitus eſt. Hæc Althuſius. Licet vero paſſim hæc ſcholarum cura negligatur, DEUS tamen, cujus res agitur, nonnullos excitat, quibus Scholæ, Eccleſiæ, Reip. ſeminaria curæ cordiq́; ſunt, frementibus etiam ac frendentibus, & ipſomet Diabolo, & larvatis Diabolis, Hæreticis.

Horum in numerum non poſtremo, ſed primo merito loco accenſendi & ponendi ſunt *Ampliſſimi & Prudentiſſimi Liberæ Imperialis huius Civitatis* SPIRENSIS *Senatores ac Scholarchæ, Domini mei Gratioſiſſimi*, qui (uti ante hac Programmate publico ſignificatum) enixe laborarunt, atq́; etiamnum eo collimant, ut Schola hæc non ſolum in flore, & vigore priſtino conſervetur, ſed & altius altiusq́; erigatur, & ex ſchola (ut vocant) triviali, Gymnaſium quoddam ædificentur.

Inſignis Pietas, & ſedula cura SENATUS,
Hanc CHRISTO *& ſtudijs conſtituere Scholam!*

Quis igitur Auditores æquiſſimi non merito exclamaret cum Regio Propheta, Pſal. 117. Laudate Dominum omnes gentes; laudate eum omnes populi. Quoniam roborata eſt ſuper nos miſericordia eius, & veritas Domini in ſæculum, Halleiua. Et Pſal. 95. Cantate Domino & benedicite nomini ejus: annunciate de die in diem ſalutare eius. Quis non cum eodem Propheta huic pio pij Magiſtratus propoſito apprecaretur Pſal 118. O Domine bene proſpera; o Domine facilem ſucceſſum da!

Hanc fidei ſedem, veræ pietatis & artis
Mirifica ſtatuas proſperitate DEUS

M um hoc ſit votum devotum.

Salve SPIRA, *pij Proceres ſalvete Spirenſes:*
SPIRA *probata homini;* SPIRA *probata* DEO.

Salve. Te salva Pietas quoq; salva manebit:
Te nutrice tibi multus alumnus erit.
Teq; salutabunt doctorum lumina Matrem,
Et te Patronam plebs studiosa colet.
Subq; tua Platano LUTHERI *dogma quiescet;*
Dogma quod ex sacro flumine flumen habet
Frendeat ipse Satan larvatus & ilia ructet,
Expediat vires, expediatq; dolos;
SPIRA *domus Domini longo celebrabitur ævo,*
Inter & Eoas, Hesperiasq; plagas.
Et vos Spirensis fidißima corda Lycæi
Salvete, & mecum hanc ædificate Scholam.
En Præceptores estis, estote quod estis
Magno animo, studiis, integritate, fide.
Floreat inter nos Concordia, floreat ardor
Mutuus, & doctum cum pietate sophos.
Non nos, non nostros turbet stryx Calva labores,
Non aliorum iræ, Romolidumve minæ:
Floreat inprimis sacrata professio CHRISTI:
Hæc nunc sit voti summa caputq; mei.

Quoniam vero & nutu DEI singulari, & voluntate ac consensu Inclytæ hujus Civitatis Senatus, non solum ad Recturam hujus Gymnasii legitime alio sum evocatus, sed etiam in hancce Cathedram jam collocatus, ideoq; pro more haut illaudato felicis auspicii ergo, verba quæ non vel à laudabili nostri Senatus instituto, vel à difficili mea functione aliena videbuntur, mihi facienda duxi. Eapropter nil præter officium facturus mihi videor, si seposita illa à variis varie tractata, de Antiquitate, utilitate, & necessitate Scholarum, materia, proposuero *Ideam veram veri Gymnasij constituendi & erigendi*. Thematis hujus ostentatio nulla, sed necessitas maxima, sicut ipsius rei difficultas summa. Ostentatio nulla:

quia

quia operum fastigia apparent, fundamenta latent. Necessitas maxima: Fons enim & radix Virtutis & eruditionis ex Scholis & Gymnasiis veluti ex scaturigine propullulant. Difficultas summa: Erit enim hæc res eximiæ prudentiæ, præclaræ eruditionis, multæ Virtutis, laboris maximi, & infinitarum prope molestiarum.

Antequam vero Thema hoc exponam, prius totus hicce Consessus & Congressus longè Magnificus, Amplissimusq; à me & summisse atq; enixe exorandus, ut non aures tantum mihi benivolas præbeat, & usuram unius horulæ concedat; sed & me in hac difficili materia vel errantem corrigat, vel titubantem sublevet, vel hæsitantem moneat: faciam, si non verborum, tamen rerum gravitate, ut neminem temporis huic orationi impensi pœniteat.

QUemadmodum Respub. probe constituta, ita & Gymnasium verum in duobus potissimum consistit: in *legitima* videlicet tum *fundatione* tum *conservatione*, seu uti Logici loquuntur, in *causa Procurante, & Conservante*.

In *fundatione* Scholarum & Gymnasiorum Magistratui sunt attendenda quædam *Primario*, quædam *Secundario*. PRIMARIA sunt, Primo LOCUS IDONEUS, talis videlicet ad quem convenire undiquaq; φιλόμουσοι ibidemq; facile commorari queant, nbi Victualium, habitationum, aliarumq; rerum necessariarum copia haberi posit. Debet hic locus esse salubris, ne studiosa juventus crebris infestetur morbis, & veluti quasi abigatur, aut dissocietur. Debet præterea à tumultu esse remotus, ne interpellantur tum docentes, tum discentes. Ideo compelli possunt Malleatores seu Fabri cujuscunq; materiæ, obstrepentes juxta Scholas, ut vel quie-

 scant,

ſcant, vel domibus juxta Scholas poſitis cedant, ſicuti multis hoc probat Grego. Tholoſa. lib. 18. de Repub. cap. 6. Hinc Juriſconſ. diſputāt; *Doctorem, fabrum domo expellere poſſe.* Quod ſi vero hæcce omnia uno in loco haberi nequeant, talis tamen eligendus locus, qui majoribus & melioribus fruatur commoditatibus. Secundo, inter PRIMARIA fundationis requiſita requiruntur *Ædificia idonea & apta*, tum Scholarum Miniſtris, tum Lectionibus, aliis exercitiis ac conventibus Scholaſticis; item in quibus præbeatur victus & habitatio Stipendiariis ſeu Beneficiariis. Tertio Requiruntur *Reditus Neceſſarij ac certi*, quos pius Magiſtratus procurare, & ad contribuendum ſubditos excitare debet. Illos vero reditus qui à noſtris majoribus ad hunc ſumme pium in fundatione Monaſteriorum, Canonicatuum dati & legati ſunt, ita tueri, ne ab hoc uſu ſanctiſimo in profanum convertantur.

Conſtantinus Magnus Imper. pro ſingulari ſua ergà Eccleſias Scholasq; promovendas ſtudio non maximis tantum ſumptibus templa Gymnaſiaq; extrui fecit, ſed Eccleſiarum Scholarumq; miniſtris ſtipendia è publico magnifice dari conſtituit. Ex ſtatuis enim Ethnicis precioſioris materiæ, pecunias conflavit, Eccleſiis Scholisq; in commune contulit: atq; è publicis tributis per ſingulas civitates vectigal certum deduxit, ac cujusq; loci Eccleſiis Scholisq; deputavit, hancq; munificentiam firmam & perpetuam haberi ſtatuit: teſte Sozome. l. 2. Hiſto. Eccleſ. c. 4. Euſeb. l. 2. de vita Conſtan. c. 21. Frumentum inſuper Scholis Eccleſiisq; de publico dari iuſsit, quod cum poſtea Julianus fieri prohibuiſſet, ſucceſſor ejus Jovinianus, & poſtea Valentinianus ac Gratianus Jmpp. rurſus confirmarunt, teſte jure Civili, l. *Privilegia*. c. de ſacroſanct. Eccleſ. Contra Julianus Apoſtata

Chriſtianæ

Chriſtianæ religionis exterminium non vi, ſed hac potiſſimum ratione ac fraude moliri voluit, ut Eccleſiarum Scholarumq; miniſtris omnia privilegia, honores, conſuetudinesq; ſubtraheret, & ab eis exigeret ſtipendia, quæ quidem è publico acceperant, teſte Hiſtor. Tripart. lib. 6. cap. 7. Qua de re utinam hodie non exaudirentur paſsim querelæ, quod bona Eccleſiaſtica, unde Miniſtris Scholarum Eccleſiarumque victus ac ſuſtentatio deberetur, vel in fiſcos incorporentur, vel in nervos bellorum conferantur. Hi vero abalienatores & ſacrilegi graviſsime reprehenduntur, & ſevere tandem à Deo puniuntur, uti Hiſtoria & Sacra & Profana luculenter reſtatur. Hinc Jehovah apud Proph. Joel. c. 3. inquit: Quid mihi & vobis Tyrus & Sidon; cito velociter reddam vicißsitudinem vobis ſuper caput veſtrum. Argentum enim meum & aurum tuliſtis, & deſiderabilia mea, & pulcherrima mea intuliſtis in veſtra delubra. Et apud Proph. Hagg. cap. 1. Populus iſte dicit. Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. Numquid tempus vobis eſt ut habitetis in domibus veſtris laqueatis, & domus mea deſerta? Aſcendite montem, portate ligna, & ædificate domum, & acceptabilis mihi erit, & glorificabor dicit Dominus. Reſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus: & intuliſtis in domum, & exſufflavi illud. Seminaſtis multum, & intuliſtis parum; Comediſtis, & non eſtis ſatiati, & qui mercedem congregavit miſit eam in ſacculum pertuſum: Quam ob cauſam dicit Dominus exercituum. Quia domus mea deſerta eſt, & vos feſtinaſtis unuſquiſque in domum ſuam; propter hoc prohibiti ſunt ſuper vos cœli ne darent rorem, & terra prohibita eſt, ne daret germen ſuum. Et vocavi ſiccitatem ſuper terram, & ſuper montes, & ſuper triticum, & ſuper vi-

num,

num,& ſuper oleum & ſuper homines,& ſuper jumenta, & ſuper omnem laborem manuum. Hinc pius Nehemias videns quod Levitis ſuæ partes, quæ à Deo ipſis aſſignatæ fuerant, non darentur, ac propterea Levitæ, & Cantores ſinguli in agrum fugiſſent, facientes opus; increpavit Magiſtratum dicens. Quare derelicta eſt domus DEI? Nehe. 13. Nec exempla deſunt. Cum Achan anathemate in theſauros Domini inferendo peccat, totum populi corpus hujus peccati reatu implicatur, ut cadant coram hoſtibus ſuis: & furor Domini averti à toto populo non prius potuit, quam Sacrilego hoc è medio ſublato. Joſu. 7. Filij Eli de oblationum omnium primitiis ſeſe impinguant, carnes optimas & opimas ſacrificiorum ſibi ſumunt; quapropter violenta ipſos morte in bello contra Philiſthæos punivit DEUS. 1. Sam. 2. Idem comprobat hiſtoria etiam Ethnicorum. Xerxes Monarchiæ ſecundæ, ſeu Perſicæ Rex Quartus, poſtquam aliquot civitates Græcorum diripuerat, ædeſq; ſacras incenderat; miſit nonnullos milites ad templum Delphicū diripiendum, quo pecunias quæ Delphis in templo erant, ſibi repræſentarent: qui teſte Herod. li. 8. n. 206. omnia quæ in eo templo erant memoratu digna melius norat, quam quæ in ædibus ſuis reliquerat. Hoc Delphi cum audiviſſent, in extremam prorſus devenere formidinem, qua attoniti Deum Apollinem de pecunia ſacra, conſuluerunt; Numquid eam humi defodere, an alium in locum tranſportare deberent? Sed interdixit eis Apollo, ne illam pecuniam amoverent: Se enim ſufficientem fore ad res ſuas tutandas. Itaq; Delphi de ſeipſis ſalvandis ſolliciti liberis & uxoribus in Achajam trajectis pleriq; ad loca occulta ſe ſubduxerunt, urbe deſerta, in qua non plures quam ſexaginta viri relicti ſunt, cum uno

Propheta

Propheta seu vate. Milites ad templum Delphicum spoliandum à Xerxe missi, repentina & incredibili vi imbrium, & procellis ventorum obruti sunt; creberrimis cum tonitru fulminibus veluti ex æthere irato erumpentibus. A Parnasso vertices duo abscissi magno cum fragore in exercitum, devoluti ac præcipitati sunt, acervatimq; Persas interemerunt. Quibus omnibus pariter ingruentibus terror incussus est Persis, ut qui superfuerant, fugæ se mandarent. Ea re cognita Delphi descendentes magnam Persarum stragem ediderunt. Videatur Herodotus lib. dicto. Simile legitur in historia OCHI Regis Monarchiæ secundæ X. in cujus tempora incidit *Bellum Sacrum*, quod & *Phocense* dicitur, cujus summa hæc est. Circa Annum Mundi 3595. (secundum supputationem Scalig. & Calvisii) ortum est bellum decennale in Græcia inter Thebanos & Phocenses, quod *sacrum appellatur à templo & agris Delphicis, quos diripuerunt Phocenses*. Erant vero opes ingentes in illo templo ex Magnatum donariis collectæ, ad auri tonnas 60. Quas cum eripuissent Phocenses, ab Amphyctionibus (qui erant quasi Cameræ Judices teste Alex. ab Alex. lib. 5. Genial. die. cap. 7.) damnati & proscripti sunt. Tandemq; à Thebanis ope Philippi Macedonis Alexandri Magni parentis, victi & domiti, has Sacrilegii pœnas solverunt. Primo, Autoritas regendi templi Delphici eis adempta est. Secundo, Libertas eis omnis erepta. Tertio Muri oppidorum diruti sunt. Quarto, Multi cives è patria, sunt pulsi. Quinto, Tributum LX. talentorum quotannis solvendum eis impositum est. Sexto, Jus duorum suffragiorum quod antea habuerunt in consilio Amphyctionico, Philippo concessum est. Duces præterea eorum in bello hoc miserabiliter periére. Primus Philomenus in fuga ex arduo &

prærupto ſaxo præcipitem ſeſe dedit. Alter Onomarchus ad mare fugiens à militibus ſuis confixus eſt jaculis. Tertius Phayllus macie contabuit. Diodo. Sicul. lib. 16. ſcribit nullum probi ingenii virum Phocenſibus militare voluiſſe, ob violatam pietatem ſpoliando templum Delphicum. Additque hoc memorabile divinæ pœnæ in Sacrilegos exemplum. Principum Phocenſium, inquit uxores nonnullæ monilibus ex templo Delphico raptis ſe ornare auſæ fuerunt. Ex his una quæ Helenæ monile geſtare ſolita eſt, in meretricium probrum incidit Altera eo monili quod Eriphylæ fuerat, ad ornatum utens, incendio extincta eſt, cum filius natu maximus in furorem concitatus ignem domui injeciſſet.

Quilibet Magiſtratus igitur probe expendat iſtud quod *Juſtinian. Epiſc.* mandat *l. 43. C. de Epiſc. & Cler.* Ne ea quæ Eccleſiis relicta ſunt, ſibi aſſumant, ſed in neceſſarios uſus Eccleſiæ impendant. Nam revera quicunq; bona Eccleſiis & Scholis legata ad ſe quovis modo trahunt, illi non plumas, ſed aquilarum pennas ſibi colligunt. Et hoc fuit tertium Primarium Magiſtratus requiſitum.

Quarto Requiritur *LL. promulgatio*, ſine quibus uti nulla ſocietas ita nec Scholaſtica ſalva eſſe poteſt. Etenim juventus, cum ſuas cupiditates regere haut poſſit, obedientiam ſuis præceptoribus debitam vix vel coacti præſtant. Nam ſecundum Ovidium.

Exſpatiantur Equi, nulloq; inhibente per auras
Ignotæ regionis eunt, quaq; impetus agit
Hac ſine lege ruunt.

Requiritur autem non ſolum LL. promulgatio, ſed & earundem executio. Nam, ut inquit ille, *Lex ſine executione, eſt campana absq; piſtillo.* Hinc Juriſconſ. & Poëta Baudius canit lib. 2. Mora. & Civil. Sapient. p. 74 ſcribens; *Quid*

Quid horrendas juvat
Sancire leges, quæ velut rubigine
Constrictus ensis, aut in usu torpeant
Aut despicatu? pœna ni culpas premit
Quorsum querelæ? Solvitur vis ImperI
Legumq; sacrosancta Maiestas perit,
Impune si quis alliget vetito caput.

Sed cum hoc exercitium Scholarum Ministris potissimum incumbat, inferius plura de eo agendum erit. Atq; hæc sunt *Auditores* requisita fundationis Scholasticæ PRIMARIA.

Inter SECUNDARIA numeratur BIBLIOTHECA, qua omnino ornanda & condecoranda sunt Gymnasia, ea siquidem maxime delectat, & ad studia gnaviter tractanda, tum docentes tum discentes instigat extimulatq;. Unde passim apud Historicos maximis afficiuntur laudibus illi Principes, ac Magistratus, qui Bibliothecas illustres constituerunt, ut Eumenes Attali filius qui supra 200. librorum millia in hædinis pellibus habuit. Ptolomæus Philadelphus Ægypti Rex, qui 40. librorum millia sumtibus maximis Alexandriæ congessit: Carol. M. qui palatium suum Aquisgrani præ rebus aliis, voluminibus præclaris exornavit. Antonius Pius Imper. sæpe solitus est dicere: *Alios delectent canes, alios Equi, alios aviculæ; mea unica voluptas in librorum possessione & lectione est:* Bibliothecam Athenis primus instruxit Pisistratus Tyrannus: In Ægypto autem singulari cura libros bonos conquisiverunt Ptolomæi, qui Alexandriæ Bibliothecam instructissimam habuerunt millibus voluminum 700. quæ in direptione civitatis à militibus incensa conflagrarunt: qua de re legatur *Gell. lib. 6. Noctium Attic. c. 17.* DEINDE inter secundaria Scholarum requisita numera-

tur *TYPOGRAPHIA*, Friderico III. A. C. 1. 4. 50. excoluit Faustus civis Moguntinensis. Magnum hoc & vere divinum beneficium Typographia hæc, qua uno alterove die tantum imprimitur, quantum vix integro anno à pluribus scribi possit: quaque res libraria ab inopia ad copiam profecta; qua multi utilissimi libri ab interitus periculo vindicati: qua paupertati in libris emendis artificiose consultum est: Quo de mirando incepto Philip: Beroaldi Itali quasi gratulabundi Germaniæ, hoc fertur Phaleucium.

O Germania muneris repertrix,
Quo nihil utilius dedit vetustas,
Libros scribere quæ doces premendo.

Est vero admodum utilis Typographia ubi sunt Gymnasia, quo pro re nata interdum Programmata, interdum Declamationes, Orationes, Disputationes imprimi queant: quibus mediis non solum juvenilis ætas ad studia inflammatur, sed etiam exteri, quid rerum agatur intelligunt. Ornanda insuper sunt Gymnasia aliis rebus similibus, quæ & famæ, & sanitati conducunt: inter quæ haut postrema hortorum amœnitas, & pratorum jucunditas, quibus animus tum discentium tum docentium mire refocillatur. Et hæc est Gymnasii fundatio cum requisitis pertinentibus ad Gymnasium fundandum.

FUNDATI Gymnasii CONSERVATIO non minus, imo magis necessaria quam ipsa fundatio: Nam secundum Horat.

Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri.

Difficilius siquidem rem partam servare, quam acquirere, vel uti Claudi. canit

——————Plus est servasse repertum,
Quam quæsisse novum.——————

Qua

Qua de re eleganter disserit Camera. Cent.1.c.2. Et Cent.2. c.5. Hora. Succi. Consistit vero CONSERVATIO Gymnasiorum hæc partim in *officio Magistratus seu Vocantium*, partim *in officio Præceptorum seu vocatorum*. OFFICIUM CONSERVATIONIS respectu Magistratus est triplex. I. *Vocationis. II. sustentationis III. Visitationis.* Officio primo *Vocationis* si Magistratus non prudenter, & singulari cum dexteritate defunctus fuerit, tum omnia reliqua tam antecedentia, quam consequentia erunt frustanea & de nihilo. Etenim Præceptores & Scholarum Professores seu DD. sunt illud medium præcipuum, quo ad finem, quem Scholæ sibi propositum habent contendimus. Atq; in medio si aberraverimus, quonam feliciter perveniemus? In eligendis itaq; Gymnasiorum Ministris h.e. Præceptoribus, & Professoribus, Magistratns probe attendat ad *Qualitates tum Eruditionis seu Scientiæ, tum Morum seu Vitæ.* De quibus Qualitatibus infra in officio Præceptorum agendũ erit. Eligat itaq; tales Scholæ Magistros Magistratus, qui maxime sint idonei & apti ad informandam juventutem. *Equum enim vel canem tuum informandum tradis non nisi peritissimo; Filium vero concredes imperito?* Errant hac in parte Magistratus illi, qui magis rudes, quam eruditos Scholæ præficiunt, propterea quod minori & viliori salario illos quam hos sustentare queant. Quæ omnino præpostera parsimonia est. Nam dum Magistratus parcit sumtibus, & negligit juventutem, nihil aliud agit quam illi qui de calceo sunt soliciti, & pedem negligunt. Atque hinc fit quod sæpius juventus informanda tradatur illis qui informatione ipsimet indigent: atq; sic ægrotus ægrotum curat, & cæcus cæcum ducit. Quæ est causa? Quia cum ij qui suas artes ex fundamentis & indefesso studio addi-

 dicere,

dicere, laudabilesq; profectus in iisdem fecere, nolunt illas mendicatim exercere: tum itur vel ad desperatum Jurisconsultum seu Juristultum, vel desperatum Medicum seu Mendicum, qui ambabus manibus istam functionem arripiunt, ut saltem atrum panem inde habeant, ne fame cum suis pereant. Ita *Desperatio fecit olim Monachum, hodie sæpius Scholasticum*. Et hæc est calamitas fundi nostri Scholastici, quam his depingit Jambis Baudius lib. 1. Civ. Sap. p. 22.

Non peior ulla nec nocentior lues
Afflixit huius faustitatem sæculi,
Quam quod coli nescitur, aut contemnitur
Ver illud ævi, quo nihil præsentius
Capaciusq; disciplinas imbibit.
Hæc tum Magistri culpa, tum Parentum:
Ille insciens plerumq; nec vita probus
Ultro docentis arrogat partes sibi,
Docendus ipse: digna res pœnis premi.
Scænoq; olente peius, aut atra pice
Rudem tabellam collini stirpis novæ:
Nec aptiorem cura quærere est Virum;
Sed ut quis operam viliori destinat,
Mox perfrequente cingitur juvenum choro,
Damnum fit ingens spe brevis compendij,
Peritq; Patri filius, siquidem perit
Quem spes relinquunt, ut bonæ frugis fiet. Id. li. 2. p. 84.

Sed & Magistros lata pars culpæ tenet,
Qui nec politi corda civilem in modum,
Nec sat parati ab artibus, quasq; exigit
Munus docentis, absq; respectu & modo
Certatim ad istam convolant provinciam,
Velut jacentem qua videt prædam Lacon.
Sed cur Magistros innocentes insequor?
Quibus necesse est furere cum furentibus:

In

In aviditate, in parsimonia Patrum
Præposteroq; deligendi arbitrio
Culpa hæret omnis: hoc enim quærunt sibi,
Non quos honestat publicæ vocis fides,
Consentiensq; fama, nec pravi tenax
Nec suada falsi, sed dolosus quos favor
Conciliat, aut obtrudit importunitas.
Nam qui placendi posthabent cupidinem
Curæ juvandæ, quiq; amant verum decus;
Soli in Scholis morantur, & sibi canunt.
Huc tota tandem summa recedit, ut nihil
Constet minoris, atq; filius, Patri:
Nec mira res sit si rei nullæ siet.
Sed ista quamvis alta nequidquam cano
Surdas ad aures, aura discerpit sonos:
Corrupta sæcli disciplina, non capit
Mali medelam sed malo capitur suo.

Hactenus Baudius. Et hæc est prima *Scholæ conservandæ Magistratus* cura, quæ occupata debet esse in *vocandis Scholarum Ministris idoneis*. ALTERA cura consistit in SUSTENTANDO idoneos industriosq; Scholarum *Ministros*, ubi procurandum *Magistratui* tam superiori quam inferiori, ut justo tempore docentibus solvantur stipendia ac salaria, & quidem honesta. Ne alioqui illis usu veniat quod Persius ait.

Pœniteat multos vanæ sterilisq; cathedræ.

Nec opus habeant conqueri:

Cur me literulas stulti docuere Parentes?
Sunt Mulæ Musæ, nostraq; fama fames.

Etenim non in trivio Præceptores idonei inveniuntur, non sors eos quædam cæca, aut Ethnica fortuna eos offert, sed singulare Dei donum sunt, qui id largitur ijs, qui grato animo hanc DEI benedictionem agnoscunt & reverenter habent

habent. Magna ergo cura & ſtudio non ſolum conquirendi & vocandi ſunt tales, ſed & in pretio habendi, & liberali ac honeſto non ſervili præmio afficiendi. *Æquum enim eſt*, inquit Caſſiod. lib. 2. Ep. 2. *ut unicuiq; ſuus proſit labor* Jam vero ſi provinciam hanc Scholaſticam pari fide, uti ex officio tenentur Præceptores, & Scholarum DD. adminiſtrare velint, dici non poteſt, quanti labores, quantæ moleſtiæ, curæ, & lucubrationes, quibus animi & corporis vires atteruntur, perferendæ & devorandæ ipſis ſunt. Hinc recte Iſocrates: *oportet Magiſtros multas mercedes capere à Diſcipulis : ab ingenioſis quidem quia multa diſcunt; à rudibus vero quia multos labores exhibent.* Ariſtippus, teſte Plutar. cum ab eo qui ſibi filium commendarat quingentas petijſſet drachmas, ac is dixiſſet ſe tanti mancipium emere poſſe; Reſpondit: *Eme & habebis duo mancipia.* Senſit videlicet, Hominem rudem nihil eſſe aliud, quam vitiorum mancipium. Ageſilaus Agathonem Philoſophum Platonicum ſummo in pretio habuit, teſte *Volater. l. 13.* Platonem & Ariſtotelem Theophraſtum donis affecit Philippus; gratulatusq; ſibi eſt de filio Alexandro Ariſtotelis tempore nato, teſte *Æliano lib. 4. Var. Hiſtor.* Amplis muneribus Cratippum Pompeius ornavit teſte Plutar. in eius vita. Heliodorum in pretio habuit Adrianus, teſte Spartia. in ejus vit. Carolus. M. artium liberalium DD. præ cæteris veneratus eſt, teſte *Aventi. l. 4. Annal. Bojorum.* Horum Regum & Principum erga Scholas munificentiam, debet quilibet Magiſtratus æmulari ac imitari; & non tantum Magiſtratus vel ſuperior vel Inferior, ſed & alii ſive ſint Nobiles ſive ignobiles, docti indoctiq;, quos DEUS lautiori fortuna, opibusve ornavit ac ditavit. Etenim qui Magiſtratus poſſet ſuſtentare Eccleſias Scholasq;, ni maiores, Avi & Abavi legaſſent

gaſſent & donaſſent Eccleſiis Scholisq; iſtos quibus adhuc fruimur reditus;qui cum de die in diem enerventur, annihilenturq́;, opus certe vel maxime erit ut nos de bonis noſtris ad ædificationem Scholarum contribuamus: alias non poterit ſalvus Scholarum ſtatus ad noſtros poſteros propagari. Quos enim nummos melius collocare poſſumus, quam quos in piam & honeſtam noſtrorum cariſſimorum Liberorum Amicorumq́; curam & informationem impendimus? Hic ſunt veræ divitiæ;hic verus theſaurus,quem Liberis noſtris relinquere poſſumus:hic DEO nos gratos reddit, hominibus caros&admirabiles,Reipub.utiles;hic ſplendorem & excellentiam familiæ conſervat augetq;,vel novum etiam lumen & nobilitatem familiæ infert. Placet hic cujusdam Doctoris & profeſſoris Tubingenſis eximii verba recenſere, quæſo non diſplicat ea audire. Is vero in oratione quadam pa.54.ita ſcribit. *Si Majores noſtri ſive Nobiles ſive ignobiles tantas facultates pro Eccleſijs Scholisq́ liberaliter legarunt:agite,faciamus & nos aliquid,ut non omnem Eccleſiarum Scholarumq́ curam nos abjeciſſe facto demonſtremus. Supputemus publicos Oppidorum ſeu Communitatũ reditus: perpendamus donationes quæ à nobis magni fiunt, & cogitemus num vel ſemel tantum Simile quid ad incrementum Scholarum & honorem* DEI *fieri poſſit: Minuamus ſympoſia de publico inſtituta: Conviviorum,Epularum, Veſtimentorum luxum incredibilem,vel exterminemus, vel moderate contrahamus: Omittamus immoderatiores ſumtus in res ludicras: certe aliquid erit quod in uſum Scholarum converti poterit. Si hoc non ſufficiat, Magiſtratus exigat à ſubditis pecunias,quarum annuo reditu Scholarum defectui ſuccurri, viriq́ ad Scholaſticam Provinciam aptiſſimi, conſtitui & retineri poſſint.Initium faciat à me; habita tamen & facultatum & Liberorum & familiæ ratione, libenter eam pecuniam ego meis de-*

trabam pueris, & fidelibus Scholarum Præceptoribus ac Provisoribus, vel potius tot ingenuis adolescentibus, qui futuris seculis in Scholis educandi sunt, relinquam, benedictionem divinam in cæteris eo majorem speraturus. Hæc Profess. Tubing. Idem ibidem q. 46. ita scribit *Sed tanta est (ô rem deplorandam) hominum cæcitas, ut sæpe pluris faciant bruta animalia, & maiori sumtu ea curent. Videas Scholæ alicujus Præceptorem vel Provisorem, salarium accipere annuum 50 florenorum, cui totius oppidi cives liberos suos informandos tradunt. Eum vero qui paucos equos curat, 300 vel plures auferre videas. Videas Nobilem aliquem, tribus quos habet equis, unum ad minimum conducere servum: quem liberali victu alit, cui vestimenta subministrat, triginta florenos annuos numerat: Eundem Nobilem, si trium quoque filiorum Præceptori victum suppeditare, & florenos 30. vel 50. numerare oporteat nimis grandem istius Præceptoris mercedem conqueri audias. Non de omnibus sane dico. Sunt enim qui prudenter, & pie rem considerant, officiumque faciunt.* Hactenus ille.

Restat TERTIUM Magistratus in conservando Gymnasio officium, quod consistit in *Inspectione, & Visitatione*. Ubi Magistratus est constituere SCHOLARCHAS, viros fideles peritos & graves, qui autoritate & mandato supremi Magistratus armati curent ne quid detrimenti seu damni Respub. literaria capiat. Horum officium est, esse Inspectores & Censores æquos, gnaros vitæ morumque tam docentium, quam discentium. Dehinc procurare ut quotannis stata & fixa habeantur examina Scholastica, quæ quam & summe necessaria, & maxime utilia sint, alibi dicetur. Præter hosce SCHOLARCHAS nemini facile Magistratus concedat licentiam corrigendi & laxandi quodvis pro libitu in Scholis; *ut enim cuilibet artifici credendum in sua arte: sic & Magistratus magis debet fidem habere perito & fideli Scholæ Mini-*

stro

ſtro, quam affectibus vel judicio privato cujusvis. Socratem, cum ambitionem graviter deteſtari vellet, dixiſſe ferunt: *Si quis in theatro Coriarios ſurgere juberet, eos ſolum ſurrecturos, ſimiliter ſi fabros ærarios, textores, aut alios quoſcunq;. Si vero prudentes & juſtos, hic omnes exſurrecturos.* Idem hodie uſu venit, ſi quis in theatro Ictos ſurgere juberet, ſoli ſurgerent Icti; ſi Medicos illi itidem ſe oſtenderent; indigneq; ferrent ſi quis aliarum Profeſſionum homo Ictorum aut Medicorum nomen ſibi uſurparet: ſi autem quæſtio oriretur, de re Literaria & Scholaſtica, tum quilibet aſſurgeret.

Et hoc eſt Magiſtratus, ſeu *Vocantium* circa conſervandum bene conſtitutum Gymnaſium officium.

Agendum nunc breviter *de officio Vocatorum ſeu Scholarum Miniſtrorum*, quod quam durum, arduum & laborioſum, tam apud pleroſq; eſt vile, contemtum ac exoſum, etiam apud illos qui docti audire volunt, de quibus verum illud, *Mater peperit filiam, & filia devoravit Matrem*. Audiamus iterum Tubingenſen Profeſſo. p. 42. Orat. dict. ubi ita ſcribit. *Nec tantum rudis plebs Præceptores parvi facit, ſed etiam eruditi plurimi, & autoritate pollentes: atq; eo ipſo quod ad aliud ſublimius vitæ genus (Scholaſtica functione relicta) non adſpirent abjectis animis eſſe cenſent, & dignos qui in pulvere & fœtore Scholaſtico contabeſcant. Grammatici illi vocantur, Calmiſores nominantur: Quis ergo noſtrum talem functionem ſibi expetet? cum omnes laudis honorisq; ſtudio ducamur, contemtum fugiamus omnes?* Audiamus etiam Lipſium, qui eandem habet querelam, dum centu. 3. Ep. 5. ita ſcribit. *Precium quod artibus apud nos ſit pudet vel patriæ cauſa dicere, jacent profecto, atq; ij qui eas proferunt & profitentur. Sicut pueri trochos, pilas, pupas, & levia rerum admirantur, ſecuri vilium: Sic pleriq; è noſtris ad vana divertunt, honeſta non negligentes ſolum,*

ſed illudentes, ſed & publice oleum huic lucernæ parce infundunt: quod dicere tamen magis me ſcito, quam queri. Nam ego cum illo vetere

Filium ſcivi non qui quod vellet haberet,
Sed qui per fatum non data, non cuperet.

Hæc Lipſius. At longe aliter ſenſit pius & prudens Imperator Fridericus cujus Authent. Habita C. Ne filius pro patre, ita habet: *Habita quidem ſuper hoc diligenti inquiſitione, omnibus qui cauſa ſtudiorum peregrinantur Scholaribus (Sub quibus tam docentes quam diſcentes intelliguntur, uti oſtendit Rebuff & alij Icti) & maxime divinarum & S. LL. profeſſoribus hoc noſtræ pietatis officium indulgemus, ut ad loca, in quibus literarum ſtudia exercentur, tam ipſi quam eorum nuncij veniant, & in eis ſecuri habitent. Dignum namq́; exiſtimamus, ut cum omnes bona facientes, noſtram laudem & protectionem omnimode mereantur: quorum ſcientia totus illuminatur mundus, & ad obedientiam* DEO *& nobis ejus miniſtris, vita Subjectorum informatur, quadam ſpeciali dilectione eos ab injuria defendamus. &c.* Aliter etiam ſentiunt vere docti viri, quorum judicia magis quam Præiudicia attendat quilibet Miniſter Scholæ, & ſibi dictum putet quod habet Baudius lib. 1. Civilis Sapi. p. 30.

Tu quiſquis es qui litteris ac moribus
Formas juventam præter & fas & bonum,
Sortem ſine omni gratia culpas tuam.
Ten' arbitrare vile munus aut leve
Tenella corda ductilis puertiæ
Doctas per artes fingere ad recti decus?
Feroſq́; ritus cicurare & horridos,
Dum mollis ætas indoleſq́; mobilis
Clemente tractu qualibet flecti poteſt?
Si veritate ponderamus ſimplici
Momenta rerum, non inani ſplendido
Spartam tueris neutiquam parvæ rei

Sed

Sed dignitatem non habere quis tibi
Persuasit auctor? nempe pravi persequens
Vulgus, sinister moris interpres boni,
Sartor satorq; nequiorum partium:
Rem si videbis nube pulsa inanium
Seorsim mox ab isto loquare, ac sentias
Vitij patrono. Nonne & visu commodum
Et fama honestum, & dignitate amplum putas,
Quo spes parentum, flos juventæ, civium
Novella proles, patriæ nascens honor,
Seges nepotum creditur curæ tuæ?
Hoc civitatum stat salus fundamine:
Ex hoc adulta seminario virum
Surgit propago, qui scientia graves
Olim capessant publicæ clavum rei.
Sed ut superba turrium fastigia
Miratur omnis, at latent fundamina;
Tegit tellus ima radicum, quibus
Inixa substat arborum proceritas:
Sic istud omne vi recondita magis
Sese tuetur, quam nitore evanido. Idem post pauca:
Nec esse quod te tædeat tui status,
Hac floruerunt arte summates viri,
Quos fama clarat, & vetat virtus mori:
Flos corculorum Socrates, Isocrates
Plato, & Platone maior ille maximi
Regis Magister, quem triumphat gaudio
Philippus incidisse in ætatem suam,
Ut esset, unde Heroica dignas domo
Partes & artes filius condisceret.
Sed justa forsan urit indignatio
Pectus, juventæ quod Magistros ac duces
Nec laus honestat, digna nec mens beat,
Hoc sequiori crimen omne sæculo,
Non rebus ipsis imputandum, nec tuo

Peculiaris hæc querela muneri,
Sed universo literarum choro,
Quos continenter urget indignis modis
Menti bonæ fatale paupertas onus.
Morosus hic morusq; mos hodie valet,
Pleno ore vates quilibet probat probos,
At liberalem porrigit nemo manum.
Non est quod ergo legem eandem cæteris
Consors recuses, propriamve postules: Hactenus idem Baudius.

Cæterum, verum *Veri Præceptoris officium in hisce* duobus vertitur, videlicet in *Institutione seu Doctrina*, & in *Correctione seu Disciplina; vel in Docendo & corrigendo.* Hæc duo *Doctrina* nimirum & *Disciplina* tam arcte sunt conjuncta, ut separari sine maximo damno haut possint. *Doctrina enim absq; Disciplina, est effræmis licentia; Disciplina vero absq; Doctrina est miserabilis carnificina.* Hinc illud vetus: *Qui proficit in literis & deficit in moribus, plus deficit quam proficit. &,*

Adde quod ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Ergo cum Poëta recentiore dicamus:

Iungimini; juncti suaves miscetis odores,
Musasq; habetis arduas!

Utrumq; & *Institutionis & Correctionis* officium Præceptoris perstringam. *Institutionem* quod attinet solet de ea anxie quæri: Quomodo, & qua ratione pueri, Adolescentes, juvenes, prudenter institui, & fideliter informari queant ac debeant? Quemadmodum vero Philosoph. 6. Eth. 9. in εὐβουλίᾳ seu consultatione bona requirit, *Finem bonum*, & *Media honesta* & *tempestiva: ita* παιδονόμου seu Præceptoris veri ac fidelis officium, *ratione Institutionis* ad hæcce duo revocare possumus, ut videlicet *Institutionis Finem honestum sibi proponat*, & *Media* quæ hanc ad metam compendio ducant solicite quærat & eligat.

FINIS

FINIS vero ille est vel *Propinquus* vel *Remotus*. *Propinquus* est Dſcipulorum virtus, ſapientia, Eloquentia. *Remotus* ſalutem Eccleſiæ, commoda Reipub. Societatis humanæ conſervationem, & DEI gloriam, quo nobis & bene dicendi & recte faciendi cõſilia referenda ſunt, complectitur.

MEDIA qui ad hos fines ducunt, ſunt Præceptoris vel QUALITATES, vel ἐνεργήματα *ac operationes*. QUALITATES quibus quilibet verus veri Gymnaſii, Doctor & Præceptor inſtructus eſſe debet, ſunt virtutes, eæque vel Intellectuales vel Morales. E Dianoëticis Ludimoderator à *Sapientia* & *prudentia* vel maxime paratus ſit. A *Sapiẽtia*, ut quæ traditurus eſt ipſe didicerit. Miſerum enim eſt fieri Magiſtrum eum, qui nondum formam Diſcipuli aſſumſit; ius ait Canonicum. C. & Miſerum. D. 61. *Quam quisq; norit artem in hac ſe exerceat.* Ad opificiorum Magiſteria non niſi τεχνῖται ſolent admitti; quanto magis ad auguſtiſſima Scholarum παιδευτήρια non niſi peritiores accerſendi. Hinc Horat.

Ludere qui neſcit campeſtribus abſtinet armis,
Indoctusq; pilæ, diſcive, trochive quieſcit.

Secus ſi fiat, tum Adoleſcentibus diſcendi cupidis idem eveniet, quod Diogeni, qui balneaturus cum in balneum ſordidum veniſſet, exclamavit. Οἱ ἐνταῦθα λουόμενοι ποῦ ἀπολούονται: Qui hic lavant, ubi abluuntur? Ita illi: Quomodo hic docebunt illi, qui doctrina indigent? PRUDENTIA opus Ludimoderator, ut ſciat, quæ, & quomodo tradenda pueris, ne vel auro ſcoriam præferat, vel per ambages contendat, quo recta via devenire liceat: quod non ſapientiæ ſed ſtultitiæ ſignum, juxta illud,

Ire per ambages, cum ſint compendia præſto,
Stultitiæ ſummum dixeris eſſe gradum.

Ex virtutibus Moralibus ſane quam multas in Doctore quærimus & requirimus: ut & pacate ſuum munus obire, & graviter exemplo ſuo diſcentibus præire poſſit. Etenim ſi quid ſerio agere velis, ut quieto ſis animo neceſſum eſt. Conſiſtit vero per virtutem animus; at per vitia non ſecus quam per ventorum flatus mare fluctuat, dehiſcit, intumeſcit, æſtuat, & turpiſſimas ſordes ejectat,

De vi exemplorum recte ait Plato lib. de LL. Optima inquit Adoleſcentum παιδεία ad virtutem eſt monere multa, ſed & quæ mones in omni vita ipſe facias.

Hinc illud Ovid. 6 Faſt.

Sic agitur cenſura, & ſic exempla parantur,
Cum Iudex alios, quod monet ipſe facit. Et Lucani,
————————*Nec ſic inflectere ſenſus*
Humanos edicta valent, quam vita regentis.

Vis ergo diſcipulum probum piumq;, ipſemet talis eſto. Nam qui bene docet, & male vivit, is quod una manu conſtruxit, altera deſtruit ac demolitur. Neq; tantum Præceptores vitia ſua diſcipulis quaſi labem quandam aſpergunt, ſed eoſdem etiam objurgare ſine pudore non poſſunt. DEINDE *Præceptores ſint amantes Diſcipulorum: Præceptor enim* ait Quintil. lib. 2. c. 2. *ſumat ante omnia parentis erga diſcipulum animum ac ſe ſuccedere in eorum locum exiſtimet, à quibus ſibi liberi traduntur.* ἔρως *non modo, quod Græci quidam ajunt,* μουσικὴν διδάσκει, *ſed etiam labores & moleſtias omnes reddit leviores, & quicquid habet amariti ei gratiſſima dulcedine quaſi diluit.* Eum quem oderis, ſine tædio numquam erudire poteris: ex tædio faſtidium oritur, ex faſtidio tandem negligentia naſcitur. Interim Puerorum Magiſter operam dabit unice ut ἔρωτι ſuo, diſcipulorum ἀντέρως viciſſim reſpondeat. Si odioſus ac inviſus fuerit di-

rit diſcentibus in mari ſementem certo faciet, & operam ſimul ac oleum perdet.

TERTIO *Præceptor ſit* FIDELIS qui nihil ſimulet, quod auditoribus obfuturum ſit, nihil diſſimulet quod profuturũ. Sic enim animatus debet is eſſe, qui aliorum moderatur ſtudia, ut ſi unius ſemihoræ ſpatio omnem ſuam eruditionem diſcipulis effundere poſſit, omnemq; morum honeſtatem iis quaſi affricare, nihil laboris reformidet, difficultatis recuſet, moleſtiæ detrectet. Qui ſemper Diſcipulos rudiores & ἀριστεύειν amant, & doctiores oderint (ſicut multos hæc tenet intemperies) ad boum illi greges, & porcorum haras amandandi ſunt, ubi nihil eſt quod autoritati ſuæ metuant. Arbores proceriores arbuſculas in propinquo naſcentes extinguere & ſuffocare ſolent: ſed Præceptorum eſt ſuccreſcentium alumnorum ſeu Diſcipulorum virtutem ac Sapientiam fovere, alere, erigere, excitare. Omni itaq; jure improbanda illorum invidia, qui diſcentes ab ijs prohibent & fraudulenter arcent, quibus ipſi cupidiſſime fruuntur; ſimiles Pædagogo qui, cum puer ſeu Diſcipulus quem manu ducebat, ficum humi jacentem tolleret, acerbiſſime parvulum objurgans, ipſe ficum arripuit & devoravit.

Sed nihil eſt FIDES ſine LABORE, aſſiduitate & diligentia, quæ in Pædotribis non mediocria debent, ſed prope dixerim ſumma eſſe. Præceptorem itaq; Heſiodo ſimilem eſſe volumus, hoc eſt, virum durum & hirſutum, & multum Solem in corpore oſtendentem. Et hæc ſunt *Præceptoris* Qualitates ſeu dona præcipua.

Ἐνεργήματα ſive operationes Boni *Præceptoris* conſiſtunt partim *in re*, partim *in modo docendi:* hoc eſt, ut ſciat *Præceptor* QUID, & QUOMODO ſuos debeat docere diſcipu-

los. REM quod attinet docere debet *Præceptor* ſuos diſcipulos *Optima & maxime Utilia.* Nec enim qui multa ſcit continuo doctus eſt, ſed qui ſcit idonea vitæ; nec refert quam ſubtiliter, modo utiliter res inculcetur. Bene igitur Ariſtippus teſt. *L*aert. lib. 2. c. 8. cuidam jactanti quod eſſet πολυμαθης, reſpondit: Quemadmodum non hi qui plurimum excernunt melius valent his, qui ſumunt quantum opus eſt: Ita non qui plurima, ſed qui utilia legerunt, eruditi ſunt habendi. *Faſtidientis enim ſtomachi eſt multa deguſtare, quæ ubi varia ſunt ac diverſa, inquinant, nō alunt:* inquit Seneca Ep. 2. Hi longe pejus aberrant a neceſſarijs, quam olim Romani à *M*ythridate, qui dum theſauros in *P*onto relictos diligentius collegerunt, Regem ipſum è manibus elabi pemiſerunt. Lacænæ ſuos olim liberos non aqua, ſed vino lavabant: Ita pueris non dulcia, jejuna, frigida & levia ac infrugifera ſunt inculcanda, ſed, quæ graviſſima ſunt & utiliſſima, & ex his etiam ſelectiora. Alias evenit id quod Seneca habet Ep. 5. *Magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud (h.e. non neceſſaria) agentibus.* Præceptores itaq; Autores eligant ſelectiſſimos, eosq; juventuti proponant. Nec enim victitandum lolio aut vili tritico præſertim hoc noſtro aureo ſeculo: gemmæ ſi nobis ſuppetant, qûid opus eſt ut vitro fallamur & fallamus. Ageſilaus & Ariſtippus ea dicebant pueris eſſe diſcenda, quibus viri quondam & ſenes uti poſſent. *Nec enim tam in Principijs quam in Poſt principijs ſtudiorum noſtrorum* utilitas apparet, teſte Gell. lib. 16. c. 18. Ineptiſſimum ſiquidem Scholis tantum docere & diſcere, non autem vitę, & ſcientiis tantum ad ſciendum, ſicuti avari numis ad numerandum, uti. Hoc etiam in docendo *Præceptori* obſervandum eſt, cum non eadem omnibus conveniant æque, opera vel

maxime

maxime danda, ut Discipuli sibi, h.e. suæ indoli ac ætati, suæ vitæ quam acturi sunt olim consentanea percipiant. Principum & Nobilium liberos in Scholasticis Logicorum & Physicorum argutiis detinere, prorsus ἄλογον. Si fundamenta suorum studiorum locarint, non in aliarum disciplinarum maria se demergant, sed artes parendi & jmperandi, Politicam nimirum, Historias, Iurisprudentiam, Religionem probe discant. In his enim locum habet illud Ennii:

Philosophandum, sed paucis, nam omni haut placet teste Gellio lib. 5. c. 15. Enormiter hic hallucinantur Præceptores illi, qui talia proponunt, quæ in vita communi nullum prorsus vel plane exiguum usum habent; quasi in tanta temporis inopia nulla esset rerum necessariarum cognitio. Hinc graviter Seneca: *Quæ est dementia supervacanea discere in tanta temporis inopia. Peccant & illi qui nullo habito ingeniorum delectu, nullo discrimine rudiorum & profectiorum sæpe rem abstrusissimam proponunt, & ad pueros* (quæ sunt verba Ziegleri profess. Tubing:) *undecim annorum, homilias de primis & secundis* νοήμασι, *de Epagogicis, Apodicticis & Apateticis* Syllogismis habent, ipsimet terminorum artis & totius negotii Dialectici plerumq; ignari ac rudes.

MODUS Docendi consistit. 1. *In vera Methodo ac ordine legitimo. 2. in Perspicuitate. 3. in Brevitate.* In omni quidem vita, sed maxime in Repub. literaria nihil ordine pulcrius, nihil fructuosius: Est enim ordo via Intelligentiæ, Magistra Memoriæ, imo anima studiorum nostrorum. Hinc veteres:

Ordine pervenies, quo non licet ire labore.

Ordo vero hicce observari debet tum, & quidem potissimum, in Cyclopædia, seu universali cursu Philosophico ubi ab artibus Instrumentalibus ad Reales procedendum:

 quem

quem ordinem depingit Renneman. Ictus & Rector Gymn. Erphordiæ in ſuo Ramo. p. 57. & ſeqq. Tum in ſingulis artibus ſeu Philoſophiæ partibus, ita ut à facilioribus ad minus facilia, à notioribus ad minus nota deſcendamus: Sic nutrices infantulos primum lactis liquore & pultibus ac præmanſo alunt; ſi fortiores evaſerunt, duriores & firmiores cibos ipſis ingerunt. Illud ſaluberrimum diſcentibus, ſi, qui docet uſum antecedentium in ſequentibus poſſit demonſtrare. Confundere tempora, & liberales diſciplinas ordine præpoſtero tradere, maxima fundi literarii calamitas eſt. Et cumprimis juventuti tales proponendi ſunt auctores, qui non confuſe, ſed ordine tradunt, qui non tantum boni ſunt Textuales ſeu Reales, ſed & boni Methodici. Et cum primis eo hic collaborandum eſt Præceptoribus & Gymnaſii Profeſſoribus, ut in modo & Methodo conſentiant & concordent. Boves in diverſa jugum trahentes nil proficiunt: ſic Præceptores diverſa diverſo ordine proponentes juventuti magis obſunt quam proſunt.

MODUS deinde *Docendi* conſiſtit *In Perſpicuitate, qua ſumma dexteritate explicanda ſunt omnia*: Docentes enim intelligi cupimus & debemus. Hinc Gregor. *Secundum capacitatem auditorium informetur lingua Doctorum.* Graphiis & ſculptis librariis configendi ſunt illi Præceptores, qui τὸ σκότιζον Heracliti ſi non ore proferunt, tamen animo circumferunt, quiq; ita docere cupiunt, ut Diſcipuli maneant diſcipuli, & Præceptores Præceptores. *Hujuſmodi Gymnaſia quid aliud ſunt quam balnea, in quibus ſordidæ miniſtrantur aquæ? ubi egeas aliis ſemper aquis, quibus abluaris.* Si ab hoc Magiſtro diſcedas quærendus ſagax quidam Themiſtocles aut OEdipus, qui illius Apollinis γρῖφα ſeu Oracula interpretur. Si quis celare

lare

lare velit ſuam tranſmarinam inſipientiam (ſapientiam dico) id tacendo potius, quam loquendo conſequetur: unde ille apud Gell. inquit: *Si non vis intelligi, tace.*

Tandem *Modus docendi legitimus conſiſtit in rotunda Brevitate*, ut Præceptor docenda breviter ſine temporis & ſumptuum diſpendio diſcipulos doceat proponatq́;. Hinc optime Lyricorum optimus:

Quidquid præcipies eſto brevis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantq́; fideles.

Etenim Ars longa, vita brevis, occaſio volucris ait Hippo: in Aphor. 1. ſed plerumq; accidit quod Seneca inquit li. de brev. vitæ. ca. 3. *In tempore ſumus profuſiſſimi, cujus unius honeſta avaritia eſt.* Atq; hinc nil mirum, quod raro perveniamus ad ſtudiorum noſtrorum ſcopum, cum primis in ſpatiis diutius hæreamus quam par eſt. In his tamen omnibus τὸ μηδὲν ἄγαν probandum, & cavendum, ne dum brevis eſſe laboras obſcurus fias. Feſtinandum itaq́;, ſed tamen interdum lente feſtinandum monente Gell. l. 10. c. 11.

Hiſce & Perſpicuitatis & Brevitatis requiſitis contrariantur illi, qui obſcuritate ac perplexitate tædioſa, & prolixitate nimia ſtudioſam juventutem onerant, ingenia ſæpius ingenua lacerant, macerant, tempus quiſquilijs & tricis intricatiſſimis atq; inexplicabilibus perdunt, ſumtus parentum una cum tempore furtim ſurripiunt, autores non explicant, ſed implicant, non evoluunt ſed involuunt, & talia dictitant gloſſemata, quæ longe ſunt ipſo autore quem explicare debebant obſcuriora. Hi, uno verbo dicendo, non ſunt Præceptores, ſed deceptores, non Doctores, ſed ſeductores, imo & ſumtuum & temporis decoctores. Suntque plurimum, garruli, loquaces, audaculi, impudentes, quoniam

μεχεὶ τοῦ λέγειν ἄνευ τοῦ πράττειν. Quos egregie deſcribit Gellius l.1.c.5.& l.13.c.8. De quibus ita Baudius lib.2.Civil.Sap.p.93.

———————Vas inane tintinat
Aureſq; tundit, at nihil ſcrutantibus
Reſpondet intus.

Et lib.3.p.115.ſcribit

Plerunq; flaccet opere qui ſtrepitu viget,
Bellator ore, re ſed ignavum pecus.

Sed ne quis exiſtimet me hic Peripateticos laceſſere, agite addam cujusdam inſignis Peripatetici egregiam hominum cunctatorũ delineationem. Ita vero M. Daniel Cramerus (nunc Theologiæ D.& Profeſſ. in Pomerania Stetini) in præfatione ad Lectorem præfixa ſynopſ. Metaph. *Notum*, inquit, *prob habeo, quæ nunc ſint ſæcula, & quantum commentandi Cacoëthes quosdam Magiſtros teneat, nimirum, ut nulla aurei & irrevocabilis temporis ratione habita, tantopere nugentur ad ſtudioſam adoleſcentiam, dicendo, dictando. ſcribendo, ſcriptando, ſcriptitando, ut non pugillares & palimpſeſtos, ſed vel centum boum vel Elephantum coria complenda ſibi eſſe videantur concepiſſe. Et ſi nihil aliud quod, dictitent, ſcripitent, habeant, cumulant illud: Hactenus Autor noſter dixit. Abſolvimus primum librum hactenus. Proxima lectione (quæ ante biennium fuit) dictum eſt. Progrediamur ad ſecund. ad tert. ad quartum lib. Scribite Summam libri.2. Nunc quæ ſequuntur dividemus in quinq; Capp. Primum cap. in totidem particulas. Et has, ni fallor, iterum in ſuperpartientes particulas, Aut, ut ille, qui poſt prælectionem decennalem Logicæ, gloriabatur ex ſua illa profeſſione fieri potuiſſe bonos Philoſophos, Medicos, mediocres Ictos, & optimos Theologos: nimirum quia ex quolibet, fit quodlibet. O gerræ, ô nugæ, quarum ne quidem pudet tam enormes Aſinos!* Hæc Cram. Et in ſpecie obſcuros, tædioſos, & prolixos Dialecticos Commentatores ita depingit Tho. Sagittarius, Philoſophus & Profeſſor Ienenſis

nensis celeberrimus, in Disput quadam publica de præparatio. Adolescentum ad Academias D. 110. *Dialecticam*, inquit, *quando discendam esse dicimus, non intelligimus quosvis commentarios, quibus sæpe male natis dictandis & exscribendis præterit ætas, interit adolescentia, dum vel anni decem in sola Prædicabilium aut Prædicamentorum explicatione consumuntur: Ipsi vero adolescentes falso ducuntur gaudio, dum prægrandes acervos annotationum ejusmodi colligunt, & sibi sapientiam nescio quam imaginantur, seris tandem annis thesaurum illum carbones esse experiuntur, subinde hoc ingeminantes:*

O mihi præteritos referat si Iuppiter annos!

*H*æc Sagittarius. Simile quoddam Sixt. Senensis lib. 3. suæ Bibliothecæ de quodam Monacho & Scholastico cunctatore, Thoma *H*aselbacho scribit: *Quod unius & viginti annorum spatio ad fin. primi cap. Esaiæ, pervenire nondum potuerit, quod tamen caput indefesso labore continuo enarraverat, & ingentes 24. libros in istud unicum caput conscripserat.* De hoc dicendi & scribendi genere merito quis exclamaret:

O dictatores lentum pecus!

Atq; hic est Modus juventutem informandi, qui ut eo fructuosior sit, repetitiones etiam, quarum tenacissimi erant Gymnosophistæ, in Scholis etiam atq; etiam retinendæ sunt, cum nihil probe cognosci possit, nisi eadem quotidie audiamus, dicamus, ad usum in vita transferamus. Lapides cavantur guttarum assiduo lapsu, silices formicarum pedibus atteruntur, quidni animus toties iterata doctrina subigi possit aut expugnari? Repetitionum autem multiplex est ratio. Quæ tradita sunt Auditoribus, subinde viva voce reposcere, laboriosum quidem docentibus, sed discentibus utilissimum. Quæ enim celeriter prætervolant oculos ea visu percipi non

non possunt, nec animo concipi; sic quæ semel audiuntur breviter, leviter ediscuntur. Imprimis ad illam Pythagoreorum & Catonis consuetudinem invitandi sunt Adolescentes, ut vesperi quietem capturi, semper in memoriam revocent ea, quæ interdiu legerint, audierint, dixerint, fecerint. *Firmissime enim hærent ea quæ commentationibus aliis non turbantur*. Quin & Disputationes plurimarum utilitatum sunt feraces, modo de seriis non ludicris ac inexplicabilibus rebus instituantur. Si non inanis gloriolæ, sed veritatis gratia celebrentur; si Dialecticæ sint & accuratæ, non Sophisticæ, non Sycophanticæ; si amænæ, placidæ, non tumultuosæ, clamosæ, maledicæ. Hæc Disputationum exercitia magni fecit Carolus II. Imp. Rom. Is enim teste Ænea Sylvio lib. 4. ingressus Scholam Pragensem aliquando, cum disputantes liberalium artium Magistros per horas quatuor audivisset, idq; Purpurati moleste ferrent, ac cœnæ tempus adesse dicerent: Mihi inquit, tempus est minime, nam cœna mea hæc est. Et hoc est PRIMUM præceptoris officium quod consistit in DOCENDO.

ALTERUM consistit in CORRIGENDO seu in Disciplinæ cura. *Cum enim homo* teste Plato: *sit quovis animante intractabilior, & ad malum pleno feratur cursu, atq; hinc, quo quisq; ingeniosior, nisi excolatur, tanto deterior; Disciplinam utiq; summe necessariam esse in teneræ juventutis animis informandis, nullus erit qui in dubium vocabit. Nam hæc*, ut D. Bernhardi verbis utamur, *compositum reddit omnem corporis statum, nec non & mentis habitum: cervicem submittit, supercilia ponit, & vultum componit, ligat oculos, moderatur linguam, frenat gulam, sedat iram, format incessum; ut non immerito dux itineris, salutaris fomes ac nutrimentum bonæ indolis, ac Magistra virtutis, à Cypri. appellata fuerit.*

itaq;

itaq; studia juventutis dirigere, mores vero non corrigere, quid aliud est, quam in vas jmpurum generosa vina transfundere, & furiosis arma nocendi præbere. Requirit autem Disciplina hoc, ut Præceptor sciat Ingenia discernere, & sicuti cuiusq; tulerit indoles tractare. Quidam calcaribus indigent, alii frænis: sunt quidam nisi institeris remissi, quidam imperia dedignantur: quosdam continet metus, quosdam debilitat. Hinc Aristot. 1. Oecon. 5. docet *nonnullorum ingenia ad serviendum, nonnullorum ad imperandum naturaliter esse disposita, illa vocantur servilia, hæc liberalia & ingenua.* Diversorum igitur ingeniorum Adolescentes & Iuvenes sub idem mittere jugum, nihil aliud est quam Equos Asinis adjungere, & unum Calypodium omnibus pedibus aptare. Medicus alterum oculum ad artem suam, alterum ad decumbentis naturam vertit: Idem qui Præceptori faciendum dixerit, nihil absurdi dixerit. INGENIA itaq; quo magis liberalia & bona, eo minus verberibus cogi, sed duci, non trahi volunt. Hîc si vim adhibeas, cum recta ratione insanies, idemq; experieris quod in Ozimo herba, quæ si molliter tractetur, fragrantissima est, sin vero conteratur manibus, fœtidissima. Verbis igitur in officio continendi sunt Adolescentes ingenui: Nam juxta Versiculum;

Mens generosa regi verbis, non verbere gaudet,
Verba gravi gravius pondere pondus habent.

Et: *Oderunt peccare boni virtutis amore.*

Ac egregie Q. Curtius: *Nobilis*. inquit, *Equus umbrâ quoque virgæ regitur; Ignavus ne calcari quidem concitari potest.* Et Lips. in præfat. Polit. ait. *semen quamvis exiguũ in bono solo sparsum facile comprehendit, & se explicat: Breve item monitum in mente bona.* Scholarum ἐργαστήρια non temere ludos appella-

runt veteres, ſed quod literæ per luſum tenellæ præſertim ætati inſtillandæ ſint, ita ut quaſi aliud agendo fallentes doceamus. Hic tamen locum illud habet, quod apud Plut. Corinna Pindaro ſubiicit. Manu ſerendũ, non toto ſacco: & cavendũ ne Scholæ Circulis aut triviis & quibuslibet tabernis ſimiles evadant. Improbos & durioris cervicis diſcipulos quòd attinet & illi ſunt cum moderamine tractandi, ne & hic vel in exceſſu vel in defectu peccetur. Verbis itaq; hi & minis primo objurgandi ſunt gravioribus, & non continuo flagris in illos deſæviendũ, nec enim canes ſubigi poſſunt ab iis, qui minis, ſcuticis & fuſtibus in eos ſæviunt ac debacchantur. Quare non ſemper manus habenda in ulcere, ſed quædam muſſitanda, & huic ætati condonanda. Etenim qui neſcit interdum diſsimulare, neſcit imperare. Neq; vivitur jam cum perfectis hominibus, ſed cum iis, quibus cum præclare agitur ſi ſint ſimulacra virtutis. Nemo τετράγωνος:

Nam vitiis nemo ſine naſcitur optimus ille eſt
Qui minimis urgetur. *Nec ex quovis ligno fit Mercurius.*

Qua de cauſſa non poſſumus ſatis mirari illos Timones & plagoſos Orbilios, quos iures ex antro Trophonii prodiiſſe, quibus obſonium eſt etiam leviſsimam ob cauſam in pueros, ſimul & adultos deſævire minis, quiq; ob leviſsimum delictum neſcio quas Tragœdias ac turbas ſæpiſsime excitent, & ita Pueros tractent, ac ſi cum Aſinis ipſis res eſſet. Horum ſi ludos ingrediaris, ad inferos Virgilianos deſcendiſſe videberis; vel ſi aliquando ipſorum φροντιστήρια prætereas, Bone DEUS, qui hic clamores, quæ hic lamentationes? jures

——————Te rurſus adire
Littora, ubi reſonant percuſſa pondere vaſto
Vulcani incudes, fumiq; exæſtuat unda.

Hi

Hi Præceptores nimis rigorosi faciunt, ut ætas tenella literas odio incipiat habere, priusquam quid literæ sint adnimadvertere cœperit. Hinc sæpe fit ut animo consternati malint in pristinum detrudi, quam in Scholas duci. Nam ut ille apud *Plaut.* in Capt. inquit:

——————AEdes lamentariæ
Mihi sunt, quas quotiescunq; conspicio, fleo.

Et sic ingenia præclara & spei maximæ in ipso flore tamquan turbine aliquo aut subita tempestate, nimia *Præceptorum* austeritate percelluntur, & sæpius animi ex ingenuis serviles, ex altis humiles, ex erectis abjectissimi efficiũtur. Verum hæc non eo à nobis dicta sunt fine, quasi quamlibet morum licentiã (qua deteriores omnes simus) introducere velimus, sed sævitiam tantum non castigationem debitam illis denegamus. Etenim in multis ea vel petulantia vel segnities plus quam Asinina, ut nec spe bonorum duci, nec blanditiis flecti, nec minis terreri, sed more Phrygum non nisi plagis emendari velint. In hos si flagra stringas, hos si incarcerem compingas, nil facies aliud, quam Medicus qui interdum ad urendum & secandum invitus accedit. Nam juxta *Horat.*

——————Immedicabile vulnus
Ense recidendum ne pars sincera trahatur,
Et malo nodo, malus abhibendus cuneus. In hoc vero casu *Præceptor* non facile se cõmoveri patiatur ad iram, in qua nihil rationis & moderationis. *Ira enim furor brevis est, & nil differt ab insania,* aiebat Cato. Quam ob causam imitentur præceptores Plutarchũ castigantem quidem servum contumacem, at nullum iræ signum ostendentem, de quo Taurus *Phlus.* apud Gell. l. 1. c. ult. egregie differit. In fidibus si quid discrepat, non abrumpis per iracundiam, sed paulatim reducis ad

concentum: Hic idem facias, & peccata sic compesce, ut sint quos peccasse pœniteat; quod fiet, si secundum D. August. omnis castigatio cedat in peccata non peccantem, in vitium non vitiosum.

Debent vero hic & *P*ræceptores & Parentes mutuas conjungere operas, ne quod perfecerunt *P*arentes, præceptor, aut quod *P*ræceptor, *P*arentes destruant. *P*arentum est prima pietatis & probitatis initia domi ponere, & non omnem curam *P*ræceptoribus imponere. Neq; debent esse nimis lenes & delicati in disciplina domestica. Nam; *Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.* Et hac tatione vere fiunt *P*arentes, parent enim non imperant liberis, dum ad omnia illis connivent. Hac in re graviter peccant *P*arentes illi, qui ubi liberos *P*ræceptoribus commiserunt, si ab illis forte ob delicta vel leviter objurgentur aut puniantur, re comperta ipsos *P*ræceptores in liberorum etiam conspectu & pręsentia jurgiis nescio quibus excipiunt, vix sæpe à verberibus abstinentes: unde postmodum fit ut liberi nihil non sibi licere existiment. De hac nimia *P*arenutm Indulgentia ille Lydus *P*ædagogus apud *P*laut. in Bacchid. ita conqueritur.

Priusquam est septennis, si eum attingas manu
Extemplo puer Pædagogo tabula disrumpit caput.
Cum Patrem adeas postulatum: puero sic dicit pater:
Noster esto, dum te poteris defensare iniuria.
Provocatur Pædagogus: Eho Senex minimi precij
Ne attingas puerum ista causa, quando fecit strenue.

Nihil ergo mirum si postmodum

Fertur Equis auriga, nec audit currus habenas.

Nam ut Lydus Pædagogus ibidem apud Plautum inquit:

Hoccine hic pacto potest
Inhibere imperium Magister, si ipsus
Primus vapulet. ——————

Uno

Uno verbo, Disciplina & domestica & Scholastica debet esse nec nimis rigida, nec nimis frigida seu supina.

Pertinet deinde ad Disciplinam hoc, ut Præceptor Discipulos suos à malis consortiis & sodalitiis quam longissime arceat. *Corrumpunt enim bonos mores colloquia prava.*

Dum spectant læsos oculi læduntur & ipsi
Multaq; corporibus transitione nocent. ait Ovidius. Et
Haud facile est tribulos & spinas inter euntem
Illæsos habuisse pedes, illæsaq; crura.

Tandem cum vita nostra sit πόνος καὶ ἀνάπαυσις, Labor & Requies; animorum remissio quædam ætati juvenili permittenda. Bene Ausonius.

———————*Nec semper acerbi*
Exercet pueros vox imperiosa Magistri,
Sed requies studiiq; vices data tempora servant. Nam
Amant alterna Camœnæ: Et
Quod caret alterna requie durabile non est.

Plantæ modicis aquis nutriuntur, copiosis suffocantur: Ita quoq; animus convenientibus laboribus augetur, immodicis obruitur. Prudenter Amasis Ægyptiæ Rex teste Herod. lib. 2. ad Ægyptios ægre ferentes, quod alteram diei partem Reip. daret, alteram otio & lusu transmitteret: *Arcus*, inquit, *si opus est intenditur, si intendas semper rumpitur.* Hoc fine nō tantum aliquid ocii & laxamenti, sed etiam joci liberalis & lusus ingenui non gravatim à Præceptoribus adolescentiæ concedendum. Longius prosiliunt illi qui paululum regressi spiritū collegerunt; alacriores ad studia redimus, si interquiescere nonnumquam liceat. Et cur quietem moderatam invideamus iis, qui quondam Ecclesiæ & Reipub. caussa plurimas noctes insomnes transigere cogentur? Ita vivendum ut diu vivere, ita discendum ut diu discere, ita laborandum

borandum ut diu laborare ac DEO proximoq; inservire possis. Maximopere igitur caveant Magistri, ne intempestivis lucubrationibus, importunis vigiliis (excepto tamen semper necessitatis casu, qui legem non habet) & sese & ætatem puerilem macerent, exhauriant, conficiant. Quid enim per DEUM immortalem juvat, si maximis laboribus ac vigiliis maximam mihi acquisiverim scientiam, eam vero ob omnes corporis & animi vires enervatas, & tantum non penitus extinctas, nec Reibup. utiliter locare potero, sed cotidie cum morbis & morte mihi luctandũ fuerit. Neq; tamen necessitatis legem hic imponimus, nec Epimenidis & Endymionis somnum probamus, sed laudamus illud *Horat:*

Est Modus in rebus, sunt certi deniq; fines,
Quos ultraq; citraq; nequit consistere rectum.

Nec concedendum ocium ut cibus quo repleatur, sed ut Oxybalsamum quo excitetur, aut ut Electuarium quo stomachus occludatur, & in oculis semper habendum illud *Mel digiti summitate gustandum, nimium nocet.* Et hæc sit brevis delineatio & idea boni & veri Gymnasii constituendi, & constituti conservandi: Tu Auditor benivole

——————Si quid novisti rectius istis
Candidus imperti, si non, his utere mecum.

Deberem hic nonnulla de officio Discipulorum tum erga artes, tum erga *Præceptores* suos ratione & diligentiæ & obedientiæ annectere, sed quia nimis & prolixum & tædiosum hac vice id foret, ideo ista & alia in aliud tempus commodius differo, cum fœnore ea compensaturus. Nunc Coronidis loco aliquid mihi dicendũ, de eo ob quod solennis hic actus institutus est, ad quem quod Væ: Magnific. Reverent. Excell. Pręstant. Humanitates tam frequentes comparuerint,

paruerint est quod habeam gratias respective humiles, officiosas, gratissimas.

Notũ si non omnibus tamen plerisq; vestrũ erit, qui ante semestre spatium præter propter ab Amplis. & Prudentis. Liberæ Civitatis Imperialis Spirensis Senatu, Dominis meis Gratiosissimis, legitime & non nisi divinitus ex Gymnasio Durlachiano cui quadriennium præfui (qua fide qua diligentia loquantur literæ Testimoniales, quas Illustriss. Celsissq;. Princeps ac Dn. Dn. GEORGIUS FRIDERICUS, Marchio Badẽsis & Hochbergensis &c. Dominus meus Clementissimus clementer indulsit) ad Recturam hujus Gymnasii primam, vocatus fuerim. Vocationem hanc cum planitus divinam agnoscerem, mihi nequaquam detrectandam esse ratus fui. Etsi vero Laborum Scholasticorum laboriosissimorum, molestiarum molestissimarum ferme pertæsus ex pistrino & Labyrintho Scholastico me explicare & extricare proposuerim; DEUS tamen divina sua providentia longe aliter mihi proposita disposuit, ita ut opus habeam cum Propheta exclamare. *Scio Domine, quod non sit hominis via ejus, nec viri ut ambulet dirigatq; gressus suos,* Vatem huius vocationis mihi egisse videtur Venerandus & Clariss. Eccardus Th. D. tum temporis Acad. Giess. Professor, qui me Giessa discedentem hoc carmine ἐυφοδίου loco donavit:

Non natale solum non cor dulcedine sueta
Afficit HIMMELI patria terra tuum?
Linquis? & accleras nunc ad loca dißita gressum,
Gnaviter ut poßis munia obire tua?
Perge modo; Nam sic, qui temperat æthera, jußit,
Quem penes est nostras disposuiße vias.
Illuc hunc vocat, huc illum locat: ordine sistit
Quo quemq; esse velit, provida cura Dei.

Et

Et quamprimum vocationem hanc legeram statim, incidebant hi Baudii Iambi, quos habet lib. 3. civil. sap. p. 122.

Quo fata ducunt, quo trahit necessitas
Sequeris ultro, non rebellabis DEO:
Caloq; curas, & tui custodiam
Transcribes omnem, certus humanas vices
Haut fortuita sorte volvi: sed regi
Nutu superi Regis, hic valet
Mutare summa, tollit atq; deprimit
Regum tiaras, vertit atro funere
Celebres triumphos; deniq; in solo ac polo
Quacunq; mundi Machina hæc ingens patet,
Divina mens utramq; facit paginam.

Imo animum percellebat meum id Jehovæ Jeremiæ datum responsum: *Quocunque te misero ibis.* Ivi itaq; & huc in nomine Domini (in cujus manibus sortes meæ) legitime vocatus & missus: atque in vinea hac Scholastica tam diu laborabo, quam diu DEus meam operam gratia sua clementer benedicere voluerit. Et, quantum quidem in me fuerit, in id totus incumbam, ut quivis Vir bonus & cordatus sentiat me unice quærere gloriam DEI, & floridæ juventutis commodum, nec quicquam in me defieri patiar, quod ad incrementum hujus Gymnasii facere videbitur: uno verbo, fidem & industriam spondeo, & de successu laborum meorum Scholasticorum bene spero, fretus Divina bonitate, Magistratus subsidio & ope, vestro, *Auditores æquissimi*, favore, Collegarum industria & candore, Discipulorum obedientia & honore. Vos Adolescentes Lectissimi cujuscunq; conditionis, nec vel de mea, vel meorum Collegarum tum in docendo assiduitate, tum in communicando fidelitate tantillum dubitate: Animum saltem ad hibete discendi cupidum

pidum, obſequendi promtum. Nos cum Stoicorum principe (epiſt.6) in vos omnia transfundere cupiemus: Et in hoc gaudebimus aliquid adhuc quotidie diſcere, ut vos doceamus. Et cum ſubtilitatum Magiſtro (Exer. 308) gaudebimus, ſi quæ ſciré nobis perſuademus cognita eſſe vobis omnibus tandem intellexerimus. Sed cum hæc non ſint opis noſtræ, neq; à nobis pendeant, ſed à ſolo DEO qui dat velle & perficere, & à quo omnis ſapientia, ſi quis eam deſideret, petenda eſt: ideo cum Divo Fulgentio oramus Dominum JESUM doceri multo plura quæ neſcimus, à quo accepimus pauca quæ ſcimus: rogamus ut præveniente & ſubſequente miſericordia quęcunq; diſcenda nequimus, doceat nos, in quibus ut homines fallimur corrigat nos, & ab omnibus falſis & noxiis eripiat nos.

Summe DEUS Rector Rectorum maxime, ſolus
Qui regis aſtra poli, qui regis arva ſoli.
SPIRENSIS vigeant noſtri bene ſceptra Lycæi
Fac, data quæ bene ſunt nunc moderanda mihi.
Da nobis regimen tranquillum, daq; beatum
Auſpicium, finem, da mediumq; bonum.
Care Pater ſacros inter nos aſſere cœtus,
At illos ſolita pro bonitate rege.
Urbem juſtitia tutare & morbius orna,
Legibus emenda, ſubſidioq; fove.
Floreat in Schola hac Pax & reverentia legum,
Officium ut faciant ſedulitate boni.
Cumq; tui nutu, ſic decernente Senatu,
Illius indignus ſceptra decusq; geram.
Me rege, quo totis ſtudijs tibi grata miniſtrem,
Publica promoveam commoda deinde Scholæ.
Legibus ac noſtris ſubiectos, nomine, vita
Diſparibus varios moribus ac ſtudijs

Rite regam exemplo, dictis, pietate, favore,
Consilio, curâ, pace, quiete, fide.
Ecce meum Votum! e voto si singula cedent,
Gloria nulla mea est, Gloria sola tua est.

DIXI.

ERRATA.

Pag. 1. lin. 14. Lacedæmonios. p. 3. l. 15. ædificetur l. antepenult. Meum. p. 5. l. 14. neminem. l. 24. ubi. p. 6. l. 13. intersere; Usum. l. 15. Sanctissimo. p. 10. l. 23. Coactè. p. 12. l. 1. quam sub Friderico Anno 1450. p. 17. l 9. Hæ divitiæ l. 15. displiceat. p. 22. l. 15. effrænis. p. 23 l. 14. dele; &. l. 25. Ludimoderatori. p. 27. l. 9. omninò. p. 28. l. 22. 23. Scalpris p. 31. l. 2. loco D. pone, Th. p. 35. l. 8. tanquam. p. 39. l. 26. acceleras.

Cætera pro Candore suo ultrò corriget Lector Candidus; Momum nil magis quàm Asini umbram moramur.

FINIS.

